

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Joh. Henrici Boecleri Utriusque Juris Doctoris, & in
Universitate Argentoratensi Juris Publici Professoris De
Acquisito Et Amisso Imperii Romano-Germanici In
Livoniam Jure Diatriba**

Boeckler, Johann Heinrich

Argentorati, MDCCXI

VD18 10154612

urn:nbn:de:gbv:45:1-14936

JOH. HENRICI BOECLERI

Utriusque Juris Doctoris, & in Universitate
Argentoratensi Juris Publici
Professoris

DE

ACQUISITO ET AMISSO

Imperii Romano-Germanici

IN

LIVONIAM

JURE

DIATRIBA




ARGENTORATI,

Apud JOH. REINHOLDUM DULSSECKERUM.

ANNO M DCC XI,

js





SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DOMINO

CAROLO
LANDGRAVIO
HASSIÆ,

PRINCIPI HERS-
FELDIÆ,

COMITI CATTIMELIBOCI,
DECIÆ, ZIEGENHAINÆ,
NIDDÆ atque SCHAU-
BURGI, &c. &c. &c.



SERENISSIME
PRINCEPS
AC DOMINE,
DOMINE CLEMEN-
TISSIME,



*Um ad sublime illud,
in quo Divina Provi-
dentia SERENITA-
TEM TUAM collo-
cavit, solium appro-
pinquare audeo, humillimo cultu
munusculum hocce literarium ob-
laturus, nihil majorem mihi addit
fidu-*

fiduciam, quam quod talis adven-
 dus est Princeps, quem studiorum
 maximum esse protectorem, con-
 stans ubique terrarum fama du-
 dum omnibus gentibus annuncia-
 vit. Et sane, SERENISSIME
 PRINCEPS, TU, qui primario
 inter tutelaria Germaniae Numi-
 na loco positus, supremum in gu-
 bernandi prudentia attigisti fasti-
 gium, non potes non peculiarem
 earum rerum gerere curam, cum
 quarum incrementis vel decre-
 mentis stare cadereque Imperia
 solere, omnium seculorum Anna-
 les loquuntur. Id tantummodo
 (a) 3 est

est dolendum, quod, cum summo
patrocinio Tuo digneris foveasque
Musas, ipsæ ingratarum tamen
speciem præbere cogantur. Adeoni-
mirum, O FLOS IMPERAN-
TIUM, gloriæ humanæ mensuram
supergressus es, ut, quoniam ma-
xima etiam eloquentia infra me-
ritorum Tuorum magnitudinem
longe subsistit, laudum Tuarum
celebrationem instituere nemo
queat. Ac quibusnam tandem ad
TE deprædicandum verbis uten-
dum esset? qui duo illa non Haf-
siæ tantum, sed totius mundi
miracula, PHILIPPUM MA-
GNA.

GNANIMULIM, & WILHELMUM SAPIENTEM *intelligo,*
immenso celsissimarum virtutum
Tuarum splendore obscurasti. Non
indignabitur proinde SERENI-
TAS TUA, si, quod facundissi-
mus quisque facere reformidat, ego
tentare non aggrediar. Liceat au-
tem, quod unicum mihi superest,
quodque itidem tamen non alio
quam balbutienti ore exequi pos-
sum, liceat, inquam, infinitas TIBI,
DOMINE CLEMENTISSI-
ME, agere gratias pro amplissimis in-
numerisq; beneficiis, quibus me, &
inprimis Parentem meum, ex singu-
lari

*lari Tua benignitate propius angu-
sto lateri Tuo adhaerentem, cumu-
lasti. Servet TE, PRINCIPUM
EMINENTISSIME, una cum Se-
renissima Familia Tua, regnan-
tium Regnator DEUS, &
tot TE fortunet prosperitatibus,
quot caelestes animi Tui dotes &
hactenus Orbis fuit admiratus, &
in posterum quoque est indefinen-
ter veneraturus.*

Ita optat,

SERENITATI TUÆ

Ad omnia servitia, exactissima fide,
praestanda

Devotissimus ac Obsequiosissimus

CAROLUS ÆMILIUS a KETTLER.



JOH. HENRICUS
BOECLERUS,

U. J. D. & Juris Publici Professor
Ordinarius.

LECTURIS

S. P. D.

P*Lures equidem, ab
eo, ex quo, ita adgubernante
Divino Numine, publici do-
ctoris munere fungor, tempore,
in Cathedram Academicam de-
duxi juvenes, & praeclarissimis
natalibus conspicuos, & exquisitissimam ob erudi-
tionem maximopere commendandos. Qua re ef-
fectum est, ut studiis meis, quae per se nullius
(b) esse*

esse pretii, nemo me melius intelligit, extrinsecus
tamen singulare decus accederet. Deerat adhuc
unum felicitati meae, atque, cum honeste ambitio-
sus esse vellem, aliud nihil optandum mihi re-
stabat, quam ut ex aliquo ultra privatam
sortem posito stemmate oriundus Musarum a-
lumnus, me Duce in Parnasso militare, meque
praeuntem in certamen literarium sequi dignare-
tur. Factus tandem sum voti mei copiosissime
compos. Sistendus enim sub qualicunque auspicio
meo in palestra disputatoria est, qui originem trahit
ex ea stirpe, quam peculiari, eoque splendidissimo
jubare generosissimis etiam antecellere familiis nemo
nescit, nisi qui sidera Caeli diversissima luce ra-
diare ignorat. Non minorem tamen, excelsa,
quibus Per-Illustris Dominus Respondens conde-
coratus est, ingenii dotes, de se dispergunt fulgorem.
Sane & praestantissima Eum pollere memoria, ac
sagacissimo praeditum esse iudicio, & alii innu-
meris documentis compertum habent, & ego prae-
cipue perspicere potui, cum sub ductu meo per integri fere
anni spatium diligentissimam operam addiscendo
Furi

*Furi Publico impendens, arctissimo me beaverit
consortio.*

*Proinde persuasissimum mihi est, non vanum
me augurem fore, si predicam, Eum ad summa
queque enisurum, & talem aliquando futurum,
qualem Orbis sperare debet ex illustrissimo san-
guine Magni, a quo procreatus est, Parentis, qui
non Germanorum modo Principum aulas, sed
reliqua quoque Europæ regna eminentissimarum
virtutum suarum fama ita complevit, ut in-
comparabilem quam consecutus est gloriam non
possit non per omnem insequentium seculorum se-
riem diffundere.*

Handwritten text, likely a title or header, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Main body of handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly illegible due to fading and bleed-through.

P

C

D



Per - Illustri atque Generosissimo
Juveni, ac Domino,

D O M I N O
CAROLO ÆMILIO

L. B.

à KETTLER,

De Acquisito & Amisso Imp. Rom.

Germ. in Livoniam jure

disputanti

DISCESSUMQUE INDE PARANTI

gratulatur

Academiae Argentoratensis

Facultas Juridica

interprete

Ejusdem p. t. DECANO

JOH. HENR. FELTZIO

D. PP.



Illustrationes Generosissimas
Jure, et Fecundis.

D O M I N O
CAROLO EMILIO
L. R.

4 KETTLER
De Acquisitio & Amisio Imp. Rom.
Gent. in Livoniae Juris
disputatione.

INCESSANTE INDE TARRANT
gradum.

Academiae Augustanae
Facultas Juridica

inceptis

Præsentat per E. DECANO

JOH. HENR. FELSIO
A. P.

P
cep
ful
pu
est
vi
Pa
no
Fa
eth
tis
do
tig
ter
cie
tit



Per - Illustris atque Generosissime
D O M I N E,



UM primum acciperemus nun-
tium, *TE* Geneva studiorum &
exercitiorum, quæ ita vulgo dicimus,
gratia huc venturum, singulare ani-
mos nostros gaudium jure meritoque
cepit. Obversabatur menti nostræ Familæ *TUÆ* præ-
fulgens à magna seculorum serie splendor, qui præci-
puum dudum in universa Europæa Nobilitate locum
est promeritus. Occurrebat animo Heroica togæ sagiq;
virtus, quæ Per-Illustrem atque Excellentissimum
Parentem *TUUM* intimis Landgraviatus Cassella-
no-Hassiæ ministeriis admotum dudum in omnibus
Europæ aulis celebrem reddidit, ac fama longe super
æthera tulit. Non poteramus non spem inde cer-
tissimam concipere eminentis cujusdam *TUÆ* in-
dolis, quam uti prima, quæ *TE*cum nobis con-
tigit, conversatio ex asse impletam exhibuit, ita ul-
terior convictus interiorq; studii *TE*cum contracta so-
cietas, quod in spe fovebamus, re ipsa minus esse, for-
titer evicit. Equidem iis jam prudentia civilis præ-
(c) 2 para-


paramenti instructus accessisti, quæ in multis disci-
pulis iurium Doctores desiderare magis quam de-
prehendere solemus; verum id TIBI satis haud
erat; quin potius sub ductu Clarissimi Kuhnii nostri
excellenti doctrinæ Viri in historiarum inprimis
adyta ulterius penetrandum censebas. Quæ quidem
ratione id effecisti, ut, quæ in JCIorum subselliis
intellectui rerum apud alios remoram injiciunt, TE
plane non morarentur, quin brevi temporis spatio
eam TIBI juris inprimis in Germania publici no-
titiam comparares, ut cum diligentissimis & peri-
tissimis in hac jurisprudentiæ parte certare facile
posses. Itaque in frequentissima Universitatis omnis
panegyri, sive cum Per-Illustri Walpotio de ju-
ribus Electorum prerogativis, sive cum Generosissi-
mo Gaylingio de Statu Nobilitatis Immediate in
S. R. I. sive cum Nobilissimo Reiseisenio de
Suffragiis Statuum, sive cum aliis de gravissimi
ponderis argumentis eruditum inires colloquium,
TE solide ac subtiliter ratiocinantem, & ratioci-
nia eloquenter proponentem audivimus applau-
dentes. Neque vero Tuo TE muneri satisfecisse
existi.

existimabas, nisi & sub discessu ipse ascenderes so-
lennem Cathedram, de elegantissimo argumento
erudite concinnatam Dissertationem ab aggressio-
nibus doctissimorum adversariorum solide atque
luculente vindicaturus. Latissimus hic se nobis
laudandi aperiret campus, quem lubenter emeti-
remur, nisi, quæ in tanto generis fastigio rarissi-
me conspicitur, singularis TUA modestia nos reti-
neret; quæ, licet nihil non laudabile agas, lauda-
tiones tamen aliorum, quacunque potis es, ratione
declinare soles. At vero id tamen à nobis nun-
quam obtinebis, Per-Illustris Domine, ut in ex-
emplum omnibus deprecare cessemus miram,
quæ nobiscum versatus es, humanitatem, mo-
rumq; eam elegantiam, quæ omnium TIBI ani-
mos voluntatesque arctissime obstrinxisti, id ade-
pius, ut, qui TE cognoscerent, in colendo aman-
doque TE nunquam non certare invenirentur.
Optaremus omnes, ut TE hujus certaminis con-
scium testemque ulterius in Auditoriis nostris co-
ram venerari liceret; sed, cum res TUÆ aliter fe-
rant, & ut abitum hinc pares, jubeant; nos ve-

nerabundam TUI gratamque memoriam nunquam deposituri, piis, prout religio dictat, precibus TE discedentem prosequimur. Ingredere ergo, quod meditaris, iter faustis ominibus, atque alibi etiam summorum munerum, quibus TE natales, quibus PRINCIPIS gratia, quibus vota paterna destinant, instrumenta ac ornamenta TIBI sedulo conquire. Servet TE Deus in peregrinatione saluum semper & incolumem, atque omnibus denique vite civilis ac elegantioris instructum praesidiis Per-Illustri TUÆ domui restituat FELICITER! Ita vale, et, quem nobis coram opere ipso demonstraſti, benevolum affectum & absens nobis illibatum conserva, atque, ubi aliquando Lares patrios revises, quando quidem tanti nos censes, Per-Illustri atque Excellentissimo Parenti Tuo Collegii nostri in cultum Tanti Viri studiosissimum ardorem commenda. Argentorati D. 16. Dec. A. C. MDCCX.

Ad





Ad

Per-Illustrem atque Excellentissimum
DN. BARONIS DEFENDENTIS
P A R E N T E M

ΠροςΦώνησις.

Maxima sunt, quæ TE faciunt, KETTLERE, beatum,
KETTLERE, Hassiacæ gloria magna Domus:
Splendida Nobilitas Virtusque, & Gratia magni
Principis, & meritis Fama superba Tuis.
Hæc tamen ut placeant, concessus cœlitus ornat
Filius, excelsi digna propago *Patris*.
Qui decus extollit generis virtute magistra;
Æmulus exstimulat quemque *Parentis* amor;
Qui cupidus patriam decorare potentius aulam,
Et viridi lauros ex Helicone petit;
Exsuperansque annos & vulgi nobilis ausus,
Cum doctis audet prælia inire viris,
Magnanimusque & jus libertatemque tueri
Terræ, ex qua generi summa brabea suo.
Quo cathedram scandente Academia nostra superbit,
Tam celsum rarò cernere sueta decus.
Quæ TIBI pro tanto jam quantum est pignore misso
Devincta, atque utinam sic quoque grata foret!
Suscepit certè hunc; cultuque & amore fovebat,
Quisquis in hac paulò cultior urbe fuit.
Nobilitas etiam, Proceres, SVMMIQUE Ministri
REGIS, & insignes gesta per arma Duces.
Nos tamen inprimis, quibus hoc Helicone licebat
Egregias propius noscere mentis opes.
Quantus El studiorum ardor! Nemo ordine in ullo
Tam per Musarum publica castra frequens.

Nec



Nec tamen ille loco hoc præsens tantum auribus hospes;
 Sæpè egit partes hic quoque voce suas.
 Quod si, quæ propius me tangunt, edere fas est;
 In sibi quam chara fervidus historia!
 Nam non nuda illi movit narratio sensus.
 Quærebat quo mens instrueretur opus.
 Non aliàs nosse melius, quantum ille valeret
 Judicio, nec mens quam generosa foret.
 Eminuit virtutis amor, & criminis horror;
 Quam bene regnandi nosset & ille vias.
 Atque utinam decus hoc tantum retinere liceret
 Longius! invita nunc abit Argyrope.
 Tam pius affectu, placidusque & amabilis ore,
 Duxerat ipse animo corda ligata suo.
 Me certè (nosti hoc, liceat KETTLERÆ fateri,) ^{scri.}
 Occupat æternum per TE oriundus amor.
 Dumque meo calidus volvetur pectore sanguis,
 Non potero affectus immemor esse Tui.
 Inter summa meæ & numerabo gaudia vitæ;
 Si qua est de fati prospera fama Tuis.
 Virtutum referet si qua incrementa Tuarum,
 Splendorem genti quæ generique ferant.
 Perge illis annos magni oblectare PARENTIS;
 Deliciæ DOMINI, deliciæque Domus.
 Atque enata PATRI tam charo gaudia NATO
 Continuet simili prosperitate NEPOS.

Venerabundo animo

Per-Illustris KETTLERIANÆ Domus

Humillimus & obsequiosissimus

Cultor

JOH. CASPARVS KÛHNIVS,

Hist. & Eloq. Prof. Publ. Ord.





I. N. D. N. J. C.

IVONIAM antiquissimis jam temporibus a Germanis fuisse inhabitatam, edocemur testimonio CORNELII TACITI, auctoris, cui pleraque quæ ad veterum Germanicarum Gentium notitiam pertinent, debemus. Ille in capite quadagesimo quinto libelli de Moribus Germanorum ex editione Berneggeriana, ita loquitur: *Dextro Suevici maris littore Æstiorum Gentes alluuntur, quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannica propior. Matrem Deum venerantur: insigne superstitionis formas apro- rum gestant, id pro armis, omniumque tutela, securum Dea cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus.*

A Fru-

Frumenta, ceterosque fructus, patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed & mare scrutantur; ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada, atque in ipso littore legunt. Aperte in his verbis dicitur, quod Æstii ad Mare Suevicum, quod Plinio aliisque vocatur Sinus Codanus, (hodie appellamus Mare Balticum, die Ostsee) incoluerint, succinoque colligendo operam dederint, adeoque certum quidem est, quod sub Æstii: (quos Hæstos vocat Theodericus Gothorum Rex, in epistola ad ipsos missa, quam exhibet Cassiodorus) comprehendatur tractus ille quem Prussiam hodie vocamus, cum in littore præcipue Prussico succinum legatur, quod vero Æstii pertinuerint ad Livoniam ejusque extremos fines, inde videtur posse probari, quod nomen Æstiorum antiquum adhuc hodie in nobilissima, atque optima plane Livoniæ provincia, nimirum, cujus incolæ dicuntur die Esthen / Esthones, ipsa Regio, das Esthland Esthonia duret: deinde

deinde, quod, in plures nationes, pluraque nomina divisam fuisse Æstiorum gentem, Tacitus ostendat vocabulo pluralis numeri gentes. Faciunt huc ea, quæ habet Christianus Kelch, Verbi Divini Minister in Esthonia, vir Livonicarum rerum apprime peritus, qui in Historiæ Livonicæ parte prima pag. 14. observat, quod illi, qui in Curlandia præter Linguam Letticam aut Curlandicam, utuntur Lingua quoque Esthonica, eam appellent veterem Livonicam linguam, quo ipso fateantur, Livones atque Esthones unum eundemque populum fuisse. Cum itaque sub Æstiorum nomine *Livones* contineantur, Æstii autem a Tacito inter Suevicas gentes referantur, quis dubitet Æstios fuisse Germanos? De Suevis enim hæc sunt verba Taciti in libelli antea allegati cap. 38. *Nunc de Suevis dicendum, quorum non una, ut Cattorum, Tencterorumve, gens: majorem enim Germaniæ partem obtinent; propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune*

A 2 Suevi

Suevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere, sic Suevi a ceteris Germanis separantur.

De vera Æstiorum inter Germanos sede res liquida non est. Cluverius, in excellentissimo opere de Germania antiqua, non inepte existimat, Æstios prope Galliam quondam incoluisse, utpote cum Tacitus in vita Agricolæ sermonem Britannorum (quorum scilicet linguæ, Æstiorum sermo, docente Tacito, propinquus, erat) haud multum diversum fuisse a Gallorum sermone tradiderit. Equidem Tacitus in ipsa quoque Britannia gentes Germanicæ originis agnoscit: sic enim de Caledoniis, præcipuo in Britannia Barbara (quæ a Britannia Romana, per muros, sive valla propugnaculis instructa, erat separata) populo, dicit, rutilas ipsorum comas, & magnos artus, Germanicam originem asseverare. Verum, magis tamen ipsi credibile videtur, ob linguam sacraque Gallorum, quibus utebatur Britannia, eam in universum consideratam, a Gallis vicinis occupatam fuisse.

De

De cætero, Vir celeberrimus, Hermannus Conringius, in aureo de Finibus Imperii opere, lib. 2 c. 29. contrariam nobis sententiam fovet, dum Æstios, etsi ritus habitusque eorum Suevicum quid præ se ferret, ideo tamen diversam fuisse a Germanis Gentem statuit, quia lingua ipsorum ætate Taciti Britannicæ proprior fuerit. In eadem quoque opinione versatur Schurtzleischius in annotationibus ad res Prætorum: pars antiquissimæ Sueviæ, inquit, proprio nomine Æstii dicebantur: illi ipsi tamen Æstii origine non fuerunt Suevi, licet veteri Suevia continerentur, quandoquidem nec linguae societate Germanis conjuncti fuerunt, & tantum ritu habituque ipsis similes extiterunt. Videmus, ambos hosce modo nominatos auctores fundamentum opinionis suæ collocare præcipue in verbis ipsius Taciti, istis nimirum, quæ de lingua Æstiorum protulit. Verum enimvero quemadmodum Tacitus non negat penitus, linguam Æstiorum fuisse Germanicam, ita quod attinet magnam illam cum



Britannico idiomate affinitatem , si cui conjectura Cluverii ante allata non placet, quidni ex frequenti unius Gentis cum altera commercio, vel Æstiorum vel Britannorum lingua corrumpi potuerit? Sane & Britannos, & populos Mare Suevicum accolentes antiquis seculis navigationi operam dedisse, ex veterum scriptis constat. Quicquid sit, Taciti certe mens non fuit Æstios excludere a numero Germanicarum gentium, id quod, præter alia ex iis potissimum verbis patet, quando dicit, Æstios frumenta, cæterosque fructus, patientius, quam pro solita GERMANORUM inertia laborare. Novissime, Æstios Germanos fuisse, se non dubitare ob locum Taciti supra allegatum, scribit Christophorus Cellarius, in nunquam satis laudato opere cui titulum dedit, Notitia Orbis antiqui, lib. 2. cap. 8. Id adhuc addimus, Hirros Plinii, de quibus agit lib. 4. cap. 13. Hist. natural. quos Cluverius arbitratur esse, alteram partem Æstiorum, qui hodie Livones vocantur, magis videri collocandos in Harria vel Wirria Esthoniæ provinciis.

Ca.



Carolus Magnus etsi longe lateque regnaverit, ad Æstios tamen imperium suum non extendit, vicinas tamen Æstiiis gentes, eas nimirum, quæ cis Vistulam, qui fluvius Carolini imperii limes erat, habitabant, domuit. Ita enim Eginhardus apud Reuberum pag. 6. *Deinde omnes Barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Vistulam fluvios, Oceanumque & Danubium posite, lingua quidem pene similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit: inter quas fere præcipui sunt, Welatabi, (qui sunt, qui a Francis appellabantur Wilfi), Sorabi, Abotriti, Bohemi. Cum eis namque conflavit, ceteras, quarum multo major est numerus, in deditionem suscepit. Idem Eginhardus in præcedentibus hæc habet: Sinus quidam ab occidentali oceano orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incomptæ, latitudinis vero quæ nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniat. Hunc nulla circumstant*

fidem nationes : Dani siquidem & Sueones, quos Nordmannos vocamus, & Septentrionale littus, & omnes in eo insulas tenent. At littus australe Sclavi & Aisti (hi sunt ipsi Æstii) & alie diverse incolunt nationes, inter quos vel precipui sunt, quibus tunc a Rege bellum inferebatur, Welatabi, quos ille una tantum, & quam per se gesserat, expeditione, ita contudit ac domuit, ut ulterius imperata facere minime reuendum iudicarent.

*Qua autem occasione, quave ratione Livonia in jus Civitatis Germanicæ, ut unum corpus considerata, transierit, docet nos continuator Chronici Slavorum quod Helmoldus scripsit; Arnoldus nimirum Lubecensis, qui circa initium seculi decimi tertii claruit, & qui adeo proximus est iis temporibus, quibus ea quæ nobis demonstranda sunt, contigerunt. Contigerunt autem circa medium seculi duodecimi. Narratio Scriptoris ob fidem ac integritatem omnibus eruditis probat lib. 7. c. 8. & 9. talis occurrit: *Opportunum, inquit,**

arbi.

arbitror, memorie fidelium commendare, nec
 silentio praterire, devotionem & laborem mul-
 torum religiosorum, quo apud gentiles qui
 Livones dicuntur, desudatum est, qui verbi
 Domini semina spargentes, ipsum populum ab
 idololatria cessare laboraverunt. Vidimus sa-
 ne propter eorum instantiam multos coopera-
 tores existere, alios peregrinando, alios sua con-
 ferendo, ut seges Christi fructuosa consurgeret,
 & multa messe Diaboli zizania suffocarentur.
 Fuit autem primus hujus institutionis auctor
 Dominus Meinardus, Sigebergensis Canoni-
 cus, quem eloquium Domini inflammavit,
 ut eidem populo infideli pacem Domini nuncia-
 ret, & ipsum paulatim calore fidei scintilla-
 ret. Cumque vir bonus per aliquot annos cum
 negotiatoribus illuc iret, & suis negotiis devo-
 tus insisteret, sensit manum Domini non in va-
 lidam, & auditorum suorum devotionem plu-
 rimam. Accedens igitur ad Bremensem Ec-
 clesiam, quam tunc Dominus Hartuicus Ar-
 chiepiscopus regebat, suam intensionem, suo-
 B rumque

rumque auditorum devotionem, ipsi Archiepiscopo similiter & capitulo majori exposuit, ut non sine auctoritate vel consilio coepto labori insisteret. Qui sperantes ipsum plantando & rigando incrementum Domini percipere, ipsum ad predicandum gentibus miserunt, simul etiam Pontificali honore sublimantes majore auctoritate roboraverunt. Ipse ergo humilis & devotus suis auditoribus verbi spargens semina, arguendo, obsecrando, magis tamen obsecrando, duritiam gentilium frangens, ipsorum corda, non minus muneribus, quam exhortationibus paulatim ad quod volebat, Deo annuente, perducebat. Anno igitur verbi incarnati M. C. LXXXVI. fundata est sedes Episcopalis in Livonia a venerabili Viro Meinardo, intitulata patrocinio beate Dei Genitricis Mariae, in loco qui Riga dicitur. Et quia idem locus beneficio terra multis bonis exuberat, nunquam ibi defuerunt Christi cultores, & novellae Ecclesiae plantatores. Est enim eadem terra fertilis agris, abundans pascuis, irrigua fluviiis, satis etiam piscosa,

§ arboribus nemorosa. Dominus quoque Bertoldus Abbas in Lucca, relicta praelatione § ipse verbi semina gentilibus spargere studens huic labori non impiger se ingerebat. Unde gratia Dei cooperante, non parum gentilibus quibusdam acceptus erat. Considerabant sane in viro gratiam conversationis, temperantiam sobrietatis, modestiam patientia, virtutemque abstinencia, instantiam predicationis, jucunditatem affabilitatis. Unde post decessum Domini Meinardi, qui, ut premisum est, bonum certamen certavit, cursumque felicem consummavit, quia omnibus tam clero quam populo conversatio Domini Bertoldi innotuerat, ipsum unanimi consensu locum defuncti sortiri exoptabant. Qui veniens Bremam, Episcopus consecratur, cui etiam ad supplementum laboris redditus annuales in eadem Ecclesia ad viginti marcas deputantur. Cujus predicationis instantia nonnulli sublimes § nobiles signaculo sanctae Crucis insigniti, ad deprimendas gentilium vires, vel po-

tius ad cultum Christi perdomandas, iter peregrinationis arripiunt. Nec defuerunt Sacerdotes & Literati, suis exhortationibus eos confortantes, & ad terram promissionis felici perseverantia eos pertingere promittentes. Et quia profectio sive peregrinatio Hierosolymitana tunc vacare videbatur, ad supplementum huius laboris Dominus Cælestinus Papa indulserat, ut quicumque peregrinationi memorata se dovissent, huic itineri, si tamen ipsis complacuisse, se sociarent, nec minorem a Deo peccatorum remissionem perciperent. Fuit igitur de tota Saxonia, Westfalia, vel Frisia, Prælatorum, Clericorum, militum, negotiatorum, pauperum & divitum conventus plurimus, qui in Lubeca comparatis navibus, armis & victualibus, Livoniam usque pervenerunt. Cumque Præsul beatus exercitum produceret contra infideles, Christi cultoribus insidiantes, in manus impiorum cum duobus tantum devolvitur, occiditur, & ut speramus, gloria & honore coronatur: Erat enim flagrans mortis desiderio

Qui



Qui sicut prima lucratur bravia fortis,
 Sic ipsi prima fuerat data copia mortis,
 Denique die secunda cum requirerentur cor-
 pora occisorum, inventum est corpus Episcopi
 intactum & incorruptum, cæteris corporibus,
 quia æstus erat, muscis & vermibus repletis.
 Quod cum planctu nimio & exequiis solen-
 nibus in civitate Riga tumultatum est. Post
 hac Dominus Albertus Bremensis Canonicus,
 in sedem defuncti sublimatus est. Qui cum
 adhuc juvenili floreret ætate, magna morum
 pollebat maturitate. Et quia vir parentatus
 erat, ornatus fratribus & amicis, in vinea
 Domini cooperatores habebat plurimos. Nec
 facile exprimere potero, quantam invenerit
 gratiam apud Reges & Magnates, qui ei
 cooperabantur pecuniis, armis, navibus, vi-
 ctualibus, inter quos Dominus Andreas, Ar-
 chiepiscopus Lundensis, Bernhardus Pachelbur-
 gensis, Iso quoque Verdensis manus suas Do-
 mino consecraverunt. Obtinuerat etiam a
 Sede Apostolica, ut si quos invenisset viros
 B 3 reli-

religiosos, & verbi Dei erogatores, sive de ordine Monachorum sive Regularium Canoniorum vel aliorum religiosorum, ipsos suo labori cooperatores efficeret, Unde ipsum sequebatur multitudo maxima, & militum manus copiosa. Cumque frequenter aestivo tempore exercitum duceret contra crucis Christi inimicos, non solum Livones, verum etiam alias barbaras nationes ita sibi subiecerat, ut ab eis obsides acciperet, & pacis conditiones cum eo facerent. Crevit igitur Ecclesia Dei per venerabilem virum Albertum, bene disposita Praepositis, Parochiis, Cœnobiis. Multi etiam continentias voventes, & soli Deo militare cupientes, forma quadam Templariorum omnibus renunciantes, Christi militia se dediderunt, & professionis suae signum in forma gladii, quo pro Deo certabant, in suis vestibus praeferebant. Qui confortati & animo & numero, inimicis Dei terrore non parvo formidabiles effecti sunt. Nec defuit divina miseratio fidem suorum inconcussam roboran-

do



do, & hoc indiciis veritatis demonstrando. Nam cum quidam neophytorum ab inimicis suae gentis comprehensi fuissent, muneribus & blandimentis ad pristinum errorem eos immutare satagebant. Quibus cum nulla ratione consentirent, sed suscepta fidei sacramenta inviolabiliter constantissime observare decrevissent, incredibili tormentorum genere eos trucidabant, qui sua confessione multos confortabant: quia per eos plurimi Deum glorificabant. Verum inter haec prospera non defuerunt adversa. Siquidem Rex Russiae de Ploscecke de ipsis Livonibus quandoque tributum colligere consueverat: quod ei Episcopus negabat. Unde saepius graves insultus ipsi terrae & civitati saepe dictae faciebat. Sed Deus adjutor in opportunitatibus suos semper protegebat. Orta tamen fuit inter Dominum Episcopum & fratres supra dictos, qui Dei milites dicuntur, quaedam intestina simultas, & mirabilis quaedam altercatio. Dicebant sane fratres, ipsorum iuris esse tertiam partem totius gentilitatis, quam Dominus

minus

minus Episcopus vel verbo prædicationis vel
violentia expeditionis obtinere potuisset. Quod
cum Episcopus omnino eis negaret, facta est
inter eos gravis discordia, ita ut multum con-
tra ipsum in curia Romana laborarent, nec
minus Dominus Episcopus suam sententiam
confirmaret.

Liquet ex longiuscula hac gravissimi au-
toris expositione, in qua quidem ea quæ re-
fert de corpore Bertoldi Episcopi non putre-
facto, cum reliqua tamen cadavera compu-
truisent, facile istis temporibus condonari
possunt, quod Zelus religionis, quo flagra-
bat Meinardus, quem vulgo Livonorum A-
postolum vocant, occasionem præcipue sup-
peditaverit ad occupandam a Germanis Livo-
niam, quam successores ipsius eo facilius ac-
quirere poterant, cum ipsis adjungerentur fra-
tres militiæ Christi (*de quibus deinde plura*)
qui postea Ensisferi *die Schwerdt-Brüder* ap-
pellati sunt. De cætero plerique Autores qui
res Livonicas tractarunt, ac inter eos quoque

Bal-



Baltasar Ruffovve Parochus Revaliensis qui
 seculo decimo sexto vixit, in laudando, quod
Chronicon Livoniae inscripsit, opere, tradit Mei-
 nardum in Livoniam delatum fuisse a Mer-
 catoribus Bremensibus, ait enim, Mercatores
 Bremenses anno 1158. tempore Friderici Bar-
 barossæ, vi tempestatis invitos coniectos esse
 in plagam, in qua Livones habitabant, ubi
 invenerint Gentem Ethnicam, quæ cum Mer-
 catores Christianos conspexisset, bona ipso-
 rum diripuerit, nonnullosque interfecerit,
 cum autem Mercatores ad defensionem sese
 parassent, multos Gentilium fuisse trucidato-
 tos: qua re effectum, ut pax postea fieret,
 ista conditione, ut liberum esset mercatori-
 bus in Livoniam proficisci, utque omnes,
 quos mercaturæ causa adveherent, securitate
 publica gaudere deberent. Verum enimvero
 Doctissimus Bangertus in notis ad Arnoldum
 Lubecensem existimat per errorem id dici de
 Mercatoribus Bremensibus, & gloriam aper-
 tæ Germanis Livoniæ ad Mercatores Lube-
 C censes



centes pertinere, qui seu tempestate maris, seu studio mercaturæ faciendæ ad litus Livonicum acti, a Livonis primum licentiam merces suas inibi exponendi obtinuerint. Sequitur hunc Christophorus Hartknoch in not. ad Petri de Dusburg Chronicon Prussiæ pag. m. 114. Errorem arbitrantur ex eo fluxisse quod Episcopus Lubecensis sub Archiepiscopo Bremensi fuerit, quodque primi Episcopi Livonici ab Archiepiscopo Bremensi fuerint consecrati. Videtur nobis horum auctorum sententia eo probabilior, quod, cum Arnoldus Lubecensis expresse quidem non tradat in quorum consortio Meinardus in Livoniam profectus fuerit, sed generaliter tantum dicat quod Meinardus cum negotiatoribus eo iverit, tamen inde colligi possit, eum de mercatoribus Lubecensibus sensisse, quoniam post decessum Bertoldi secundi Livonum Antistitis magnam multitudinem hominum de Saxonia, Westfalia, &c. navibus, armis & victualibus in *Lubeca* comparatis in Livoniam pervenisse tradit.

Ut Saxones atque Westfali gregatim in Li-
voniam proficiscerentur, non tantum a Cœle-
stino Tertio fuerunt impulsī, sed & postea ab In-
nocentio Tertio, uti patet ex epistola ipsius quam
hic subjungere operæ pretium duximus. Extat
illa in editione Epistolarum dicti Pontificis Ba-
luziana lib. 2. estque centesima nonagesima pri-
ma. *Inscriptio ita habet*: Universis Christi fi-
delibus in Saxonia & Westfalia constitutis.
Verba epistolæ hæc sunt. Sicut ecclesiasticæ læ-
sionis censure compelli non patitur ad creden-
dum invitos, sic sponte credentibus Apostoli-
ca sedes, quæ mater est omnium generalis,
munimen suæ protectionis indulget, & fi-
deles ad defensionem eorum salubribus
monitis exhortatur, ne si nuper conversis
negatum fuerit defensionis auxilium, vel
in primos revertantur errores, vel eos sal-
tem poeniteat credidisse. Accepimus enim
quod cum bonæ memoriæ M. (*per litteram*
hanc majusculam M. absque ullo dubio in-
telligi debet sapius jam dictus Meinhardus)
C 2 „ Episco-

„ Episcopus Livoniensis fuisset provinciam
 „ Livoniensem ingressus, in verbo Domini
 „ laxans prædicationis suæ retia in capturam,
 „ inter populos barbaros, qui honorem Deo
 „ debitum animalibus brutis, arboribus fron-
 „ dosis, aquis liquidis, virentibus herbis, &
 „ spiritibus immundis impendunt, usque a-
 „ deo Domino concedente profecit, ut mul-
 „ tos a suis erroribus revocatos ad agnitionem
 „ perduceret veritatis, & sacri baptismatis
 „ unda renatos, doctrinis salutaribus infor-
 „ maret. Verum inimicus homo, qui tanquam
 „ leo rugiens circuit quærens quem devoret,
 „ invidens conversioni eorum pariter & sa-
 „ luti, persecutionem paganorum circum ad-
 „ jacentium in eos iniquis suggestionibus exci-
 „ tavit, cupientium eos delere de terra, &
 „ de partibus illis Christiani nominis memo-
 „ riam abolere. Ne igitur nostræ negligentia
 „ valeat imputari, si hi qui jam crediderunt,
 „ retro cogantur abire, nec præsumant ali-
 „ qui fidem nostram recipere, si illi qui jam
 „ rece-

„receperunt, a paganorum incurfibus re.
 „manferint indefenfi; univerfitatem veftram
 „monemus & exhortamur attentius, in re-
 „miffionem vobis peccaminum injungentes,
 „quatenus, nifi pagani circa Livoniensem
 „Ecclefiam constituti cum Christianis treugas
 „inire voluerint, & initas confervarint, ad
 „defenfionem Christianorum, qui funt in
 „partibus illis, potenter & viriliter in nomine
 „Dei exercituum affurgatis. Nos autem o-
 „mnibus de partibus veftris qui fanctorum li-
 „mina vifitare voverunt, praefentium aucto-
 „ritate concedimus, ut in voti commuta-
 „tione emiffi, in defenfionem Livoniensis
 „Ecclefiae ad partes illas pro reverentia no-
 „minis Christiani procedant. Omnes fiqui-
 „dem qui ad defendendam Livoniensem Ec-
 „clefiam & Christianos in illis partibus con-
 „ftitutos zelo fuccenfi duxerint tranfeundum,
 „fub Beati Petri & noftra protectione fufci-
 „pimus, & eis apostolici beneficii patroci-
 „nium impertimur.

C 3

Non



Non possumus hoc loco intactum relinquere id quod Christophorus Hartknoch in notis antea citatis, loco quoque allegato, ex Authore Chronici ordinis, & Waiselii Chronico Prussiae refert: Meinhardum nimirum consecratum esse ab Innocentio II. Pontifice Romano. Sed quemadmodum in eo graviter labitur auctor dicti Chronici, quod Equites ensiferos ab Alexandro III. Pontif. Rom. institutos tradat, uti solide more suo ostendit eruditissimus Schurtz-fleischius in eleganti de ordine Ensiferorum dissertatione, ita quo minus hac quoque in re fidem ipsi adhibeamus, facile inducitur. Certe si verum est, quod circa annum 1193. vel ut alii volunt 1194. mortuus fuerit Meinhardus, non videtur ipsi ab Innocent. II. utpote qui secundum Baronium anno 1143. jam decessit dignitas Episcopalis conferri potuisse, nisi statuamus ad octogesimum fere ætatis annum pervenisse Meinhardum, quod tamen forte, tanquam rem raram, non omisisset Arnol-

dus

dus Lubecensis, præsertim cum facile inde
 occasionem arripere potuisset eo majoribus
 laudibus extollendæ Divinæ benedictionis,
 (quam nimirum in hac historia, quantum
 potest, celebrare studet) quod viroquem tanto-
 pere ob humilitatem & pietatem commendat,
 ad convertendum eo majorem gentilium nu-
 merum, longissimam vitam concessisset. Quod
 enim Meinardus ut adolescens viginti anno-
 rum missus fuerit, ad prædicandum gentibus
 Evangelium, præsumi regulariter non debet.
 Is sane non tolerandus error est, si Chroni-
 con ordinis, & Waisselius dicant, (uti Hart-
 knoch itidem refert) Meinhardum ab In-
 nocentio II. consecratum fuisse anno 1170.
 Est itaque veritati longe propior Russovii sen-
 tentia, qui tradit, Meinardum una cum
 primario quodam ex Livonibus viro, Cob-
 be dicto, Romam profectum esse, ad Ale-
 xandrum III. Pontificem Roman. huncque
 cum statum regionis, geniumque nationis
 explorasset, Meinardo dignitatem Episcopa-
 lem

lem contulisse; (sive potius confirmasse, utpote cum Archiepiscopus Bremensis Meinardus Pontificali honore sublimaverit, uti verba habent Arnoldi) ipsique officium prædicandi Evangelii injunxisse. Sed de primis Livoniæ Episcopis hæc quidem sufficiant.

Progrediendum enim nobis est ad originem Fratrum istorum, quos Ensisferos vocavimus. Arnoldus Lubecensis, uti ex verbis ipsius supra allegatis patet, nihil aliud tradit, quam fuisse multos, qui sub forma quadam Templariorum, omnibus renunciaverint, & Christi militiæ se addicentes, professionis suæ signum in forma gladii, quo pro Deo certabant, in suis vestibus prætulerint. Ruffovius hæc habet de eorum origine; *Alse Bisschop Bartoldt doot vvas, do vveren de Christen sehr bedröuet, unde sanden an den Erzbisschop tho Bremen, unde leten en bydden, dat he en einen andern Bisschop vvedder senden vvolde. Tho der süligen tydt vvas tho Bremen ein uprichtig Mann, mit namen Albrecht. Disse vwordt*

Anno



Anno 1204. tho Rome von dem Pawveste Innocentio III. tho einem Bisschop in Lyffland confirmeret unde bestediget, unde de Pawvest stiftede ock einen Ridder orden, dem Bisschoppe Albrecht tho hülpe, desülvigen Ordensbrödere scholden in Lyffland vvanen, unde dat gantze Land vordan gevvinnen helpen. Do gaff unde bestedigete de Pawvest dissem Orden alle de gevvunnene Lande und Lüde in Lyffland, unde vvat se unde ere Nakömelinge allevvege gevvinnen vvörden, dat se desülvigen Lande tho evvigen tyden, alse frye Erffherrn besitten, unde der hilligen Kerken beschermers vvesen scholden. Disse Bröder desß Ordens müsten tragen vvytte mentelen mit einem Rydschwerde unde mit einem roden Sterne, unde vværden genæmet de Schwerdbræder. In gratiam eorum qui vel plane linguæ germanicæ, vel saltem hujusce dialecti periti non sunt, Latine hæc vertere animus est. Mortuo Episcopo Bertoldo, Christiani valde erant afflicti, mitebantque ad Archiepiscopum Bremensem, qui

D ipsum

ipsum rogarent, ut alium in Livoniam Episcopum mitteret. Isto tempore Brema erat, vir probus, nomine Albertus: Hic anno 1204. Roma a Papa Innocentio III. Episcopus Livoniae confirmatus fuit, ac Pontifex instituit ordinem equestrem, in auxilium Episcopi Alberti, eum nimirum in finem, ut socii istius ordinis in Livonia habitarent, totamque Provinciam subigerent. Et Papa huic ordini dedit, & confirmavit omnes terras & homines, omniaque ea quae fratres ordinis, ipsorumque successores in Livonia acquisituri forent, ut nimirum istas terras in perpetuum, tanquam domini possidere, defensoresque Ecclesiae esse deberent. Fratres huius Ordinis obligati erant ut gestarent pallia alba cum ense, & stella rubra, & appellabantur Fratres Ensis. (Kelch in Historia Livonica ait vestitum Ordinis fuisse pallium album cum duobus ensibus rubris decussatim positis.) Clarissimus Schurtzfleischius in allegata dissertatione de Ordine Ensiferorum arbitratur, nihil impedire, quo minus Alberto Livoniae Episcopo



Episcopo tota instituti per Livoniam Ordinis laus relinquatur. Albertum enim, etsi non inermis neque inexercitatus miles fuerit, tamen suis viribus confidere non potuisse, bellumque in dies acius futurum providisse, & subeuntibus animum curis, validas cohortes & matura auxilia quæsisse, prono in hanc sententiam Pontifice, & liberaliter pollicente Dei opem, & omnis admissi veniam, si ad arma irent, quibus pietas prætendebatur, revera autem augendi sacri Imperii cupiditas tegebatur. Deinde illam equestrem societatem non potuisse sibi sumere jus instituendi Ordinis in regione aliena, & Episcopo quæsitæ, sine consensu Episcopi.

Nos uti cum Schurtzfleischio statuimus, Alberto auspicante fundamentum Ordinis jactum fuisse, ita tamen cum eodem id quoque clarum esse existimamus, confirmationem Innocentii Tertii Pontificis accessisse. Dubitare nos hac de re non finit Epistola Innocentii III. ad Albertum Rigensem Episcopum



pum emissa, quæ eo magis hic apponi debet, quoniam facit ad illustrationem quoque eorum, quæ Arnoldus de litibus inter Episcopum atque fratres militiæ Christi tradit, simulque decisionem istarum rixarum continet. Invenitur illa in editione Baluziana lib. 13. numero 141.

AL. (sive Alberto) Rigenſi Episcopo.

Cum inter te ac fratres militiæ Christi super sorte terrarum quæ per gratiam Sancti Spiritus nuper sunt ad cultum fidei Christianæ converſæ, sub examine nostro controversa verteretur, mediantibus demum nobis ad hanc concordiam devenistis, ut videlicet ipsi fratres tertiam partem earundem terrarum, Lectiæ scilicet ac Livoniæ, teneant a Rigenſi Episcopo, nullum sibi ex ea temporale servitium præstituri, nisi quod ad defensionem Ecclesiæ ac provinciæ perpetuo contra paganos intendent, verum magister eorum qui pro tempore fuerit, obedientiam semper Rigenſi Episcopo reponit.

„ mittet , sed fratres aut Clerici qui eis spiri-
 „ tualia ministrabunt , nec decimas nec pri-
 „ mitias, nec oblationes nec cathedraticum ei
 „ solvent ; coloni vero prædictæ sortis, de par-
 „ te proventuum ad ipsos spectante decimas
 „ Ecclesiis suis reddent ; de quibus quarta pars
 „ eidem Episcopo persolvetur , nisi hoc idem
 „ Episcopus , inspecta necessaria & rationa-
 „ bili causa , sponte duxerit remittendum,
 „ ipsi autem fratres & successores eorum jus
 „ habebunt ad præfatas Ecclesias , cum vaca-
 „ verint, Rigensi Episcopo personas idoneas
 „ præsentandi, quas ipse de cura investire non
 „ differet animarum. Cæterum cum tu ac
 „ tuorum quilibet successorum ipsos duxeritis
 „ visitandos , in domo sua cum viginti eve-
 „ ctionibus semel vos procurabunt in anno, in
 „ plebatibus autem suis bis in anno vos ex-
 „ hibere curabunt. De terris vero quas a modo
 „ extra Livoniam seu Lectiam cum auxilio Dei
 „ dicti fratres acquirent , Rigensi Episcopo mi-
 „ nime respondebunt, nec ipse de illis eos ali-

D 3

„ qua

„ quatenus molestabit ; sed cum Episcopis
 „ creandis ibidem quoquo rationabili modo
 „ component, vel observabunt quod aposto-
 „ lica sedes super hoc providerit statuendum.
 „ Regulam quoque fratrum militiæ Templi
 „ servantes, aliud in habitu signum præse-
 „ rent, ut ostendant se illis nequaquam esse
 „ subjectos. Sepulturam quoque ad opus
 „ fratrum & familiæ suæ, nec non etiam &
 „ eorum qui apud ipsos elegerint sepeliri, li-
 „ beram prædicti fratres habebunt, salva ca-
 „ nonica portione ipsarum Ecclesiarum a qui-
 „ bus assumuntur corpora mortuorum. Nos
 „ igitur compositionem approbantes eandem,
 „ ipsam auctoritate apostolica confirmamus
 „ & præsentis scripti patrocínio communi-
 „ mus. Datum Laterani XIII. Kalend. No-
 „ vembris, Pontificatus nostri anno tertio de-
 „ cimo.

Constat ex hac epistola quoque in quan-
 tum vera sit narratio Ruslovii de terris Livo-
 nicis, Ordini Ensisferorum ab Innocentio III.

con-

concessis. Cæterum non alienum erit hoc quoque adjicere, quod, cum Romani Pontifices Livoniam Beatæ Virgini Mariæ dedicassent, cum aliquis in Ordinem Ensisferorum recipiendus esset, Magister Ordinis solitus fuerit, præter plures alias cerimonias, hanc quoque adhibere, ut investiendum ense ter percuteret, ensenque deinde ipsi prolatis sequentibus verbis traderet: Accipe a mea manu ensen ad defendendam Dei atque Mariæ Virginis terram.

Primus Ordinis Magister anno 1204. electus fuit Vinno a Rohrbach, qui operam præcipue dedit, ut multi Nobiles in Ordinem intrarent. De hoc Vinnone refert Ruslovius quod multa præclara facinora & bellando & ædificando ediderit, quodque extruxerit Wendam, Segenvvoldum & Asceradum. Movet me hic Ruslovii locus ut afferam ea quæ habet Cluverius in Germaniæ antiquæ libro tertio c.44. asserit nimirum ibi; probari posse Venedorum gentem olim per Livoniam Prussiamque Codani
finis

sinus adcoluisse littus, quia etiam nunc in Livonia nomen Venedorum in pluribus locis daret, nam & oppidum in medio ejus esse ad Treideram flumen, vulgari vocabulo Wenden, & in ea parte quæ dicitur Curia, vulgo Kureland, amnem cum oppido Windau & alium locum ad eundem amnem Uschevvende. Contradixit huic Cluverii sententiæ Henricus Leonhardus Schurtzfleischius, Conradus Samuelis, nisi fallor, frater, in perpolitato scripto, quod sub titulo historiæ Ensisferorum Ordinis Teutonici Livonorum novem abhinc annis edidit, dicens, Cluverum originem Vendæ, Vindaviæ, Uschevendiæ, ad Venedos retulisse, contra fidem historiæ, & argumenta temporum, quæ id prorsus vetent, quin potius superesse in his locis primi Livonorum Magistri vestigia. Novissime tamen in Cluverii sententiam inclinat vir omni meo elogio major Joh. Nicolaus Hertius, cujus morte magnam Resp. literaria jacturam fecit, in dissertatione de Notitia veteris Germaniæ populorum

lorum part. 1. cap. 1. §. 10. Et sane. inquit, Venedos quod attinet, observante Joachimo Pastorio in Dissert. de Originibus Sarmaticis, tam in Livonia, quam in Curlandia sunt adhuc nominis istius magna vestigia : nam & Venda vel Episcopali dignitate satis innotuit, neque amnis Windau, qui cognomine oppidum aluit, obscurus, cum & navigiorum sit patiens. Nostram quod concernit opinionem, quemadmodum de Venedis, annon etiam olim in Livoniam se effuderint, nunc nobis dispiciendum non esse arbitramur, ita quoad præsentem quæstionem, probabiliorem credimus Schurtz-
fleischii sententiam ideo quod Wendæ sedem suam Vinno : & in Windavia quoque Curlandica alii ex Magistris ordinis domicilium constituerint, forte in honorem primi Magistri Vinnonis qui loca ista ædificare cœpit. Conferatur quoque Christophorus Hartknoch in notis ad Dusburgii Chronicon p. 26. ubi ait, quamvis Cluverus ex locis quibusdam in Livonia sitis, ut sunt Wenden / Windau /
E Ushes

Uſcherwende / antiquam Venedorum memoriam probare velit, tamen nomina illa alium fuorum nominum auctorem nuncupare; Conſtare enim Vinnonem Magiſtrum Ordinis Enſiferorum in Livonia ea oppida condidiſſe a ſuoque nomine appellafſe: allegatque hanc in rem Chronicon ordinis f. 41.

Non alienum erit hic annotare, quod plerique Livonicarum rerum ſcriptores, Ruſſovius, Chytræus, Kelch, interque eos quoque Henricus Leonhardus Schurtzſleiſchius in libro ſupra allegato memoriae prodiderint, Vinnonem regimini ordinis præſuiſſe ad annum uſque 1223. in quo nimirum a Vigeberto quodam, equite ordinis, eam ob cauſam quod Magiſter ipſum a præſectura Wendenſi removifſet, fuerit occiſus. Verum ſi dicendum quod res eſt, non videtur tempus iſtud quod magiſterio Vinnonis assignatur cum veritate hiſtorica congruere. Adeſt enim epiſtola Innocentii III. Pontificis ad Wolcuinum ſive Volquinum, ſecundum ordinis Magiſtrum, (cujus epi-

epistolæ inscriptio quoque, Wolcuino, Magistri
 fratrum militiæ Christi titulum tribuit) exarata.
 Innocentius autem III. quemadmodum calcu-
 lum subduxit Spondanus in continuatione
 annalium Ecclesiasticorum Baronii, decessit
 anno Christi 1216. Ad Volquinum itaque, si hic,
 secundum autores modo nominatos, Vinnoni
 anno demum 1223. successisset, scribere non pot-
 uit. Videatur ista epistola in edit. Baluziana lib. 13.
 num. 142. Cerruit hinc illud quoque ejusdem
 Schurtzfleischii assertum quod profert in notis
 ad historiam suam de Ensiferis, in capite de
 Vinnone, quasi epistola Innocentii tertii, quæ
 extat apud Baluzium libro 16. numer. 123.
 (nullo expresso nomine, sed generali tantum
 facta inscriptione, ita nimirum: Magistro &
 Fratribus militiæ Christi in Livonia constitu-
 tis,) ad Vinnonem scripta fuerit. Hæc enim
 data est anno Pontificatus Innocentii decimo
 sexto, ea autem quam ad Wolcuinum scri-
 ptam esse superius diximus, anno Pontifica-
 tus decimo tertio, tractans nimirum de liti-
 bus,

E 2

bus,



bus , inter Albertum , tertium Livoniæ Episcopum , & Volquinum ortis , adeoque de iisdem rebus , super quibus Pontificem literas ad Albertum emisisse supra ostendimus. Si itaque opinio Schurtzfleischii locum habere deberet , statuendum foret Wolcuinum , ante Vinnonem , Magistrum ordinis fuisse , quod tamen ipsiusmet Schurtzfleischi sententiæ quam maxime est contrarium.

Observandum autem est , Ordinem Ensisferorum , ut eo facilius se contra gentiles aliosque inimicos defendere , ac destinata perficere , Barbarorumque ferociam atque indomitas ipsorum vires profligare ac contundere posset , subiecisse se Magistro Ordinis Teutonici in Prussia , cumque fratribus domus Teutonicæ in unum coaluisse. Auctor hujus rei fuit Volquinus , secundus Ordinis Ensisferorum Magister , qui tamen morte præventus ipse ad exitum rem deducere non potuit. Enarrat rem Petrus de Dusburg Ordinis Teutonici Sacerdos , scriptor antiquus & fide dignus , in Chronico
Prussiæ

Prussiae parte tertia cap. 28. *Hoc tempore, inquit, Frater Volquinus Magister secundus de Ordine militum Christi in Livonia jam sex annis per solempnes nuncios laboravit circa Fratrem Hermannum de Salza Magistrum generalem domus Teutonice, ut Ordo suus Ordini ipsius incorporaretur. Pro quo negotio Frater Hermannus Magister praedictus cum fratre Joanne de Megdeburg nuncio dicti fratris Volquini accessit ad Dominum Papam. Medio tempore supervenit frater Gerlacus Rufus de Livonia nuncians quod Magister Volquinus cum fratribus peregrinis & populo Dei plures cecidissent in praelio interfecti. Quo audito Dominus Papa dictum negotium terminavit, & fratrem Gerlacum & fratrem Johannem praedictos ad ordinem Hospitalis S. Mariae domus Teutonicorum investivit, dans eis album pallium cum nigra cruce, injungens eis & aliis fratribus ejusdem Ordinis militum Christi in Livonia existentibus in remissionem omnium peccatorum, ut Ordinis domus Teutonice susci-*

E 5 rent



rent habitum regularem. Hoc facto frater Hermannus Magister generalis misit fratrem Hermannum dictum Balke Magistrum terra Prussie cum XL. fratribus & pluribus armigeris ad terram Livonia, ubi ut dictum est superius cum dictus frater Hermannus Balcke praefuisset fere sex annis, rediens in Almanniam in pace quievit. Sic itaque Ordo Eniferorum, mutato habitu in vestitum ordinis Teutonici, finem accepit anno 1238. uti computat Schuzius in Chronico Prussiae, sub Hermanno Salza quarto Generali ordinis Teutonici Magistri, non sub Conrado, quinto (seu secundum nonnullos sexto) Borussiae Magistro, prouti censet Bangertus, quem ideo merito taxavit Harnknoch ad Dusburgium.

Facta hac conjunctione ab initio quidem prosperis successibus res suas gesserunt Magistri ordinis Livonici. Sub Burckardo autem de Hornhusen adeo immanis ordini illata est a Lithuanis eorumque sociis in Curonia in campis Durbinensibus clades, ut proxime ab interitu abfue-

abfuerit. Audiamus ea de re Dusburgium in
 parte tertia Chronici Prussiae c. 81. ita loquentem.
*Anno Domini MCCLX. (alii ponunt annum
 1264.) Fratres de Livonia & Pruschia cum va-
 lidis exercitibus ad deferenda victualia Fratri-
 bus de castro S. Georgii (hoc castrum in mon-
 te S. Georgii in terra Carsoviae sub aequalibus
 expensis & laboribus fratrum de Livonia &
 Pruschia anno 1259. ad incrementum fidei
 Christianae aedificatum fuisse tradit Dus-
 burgius) convenerunt, & dum appropinqua-
 rent huic castro, venit nuncius qui dixit,
 quod IV. millia Lethovinorum vastassent quan-
 dam partem terra Curoniae per incen-
 dium & rapinam, & effusionem multi san-
 guinis Christiani, & mulieres & parvulos ca-
 ptos cum multa alia praeda deduxerunt. Quo
 audito dum fratres & totus exercitus se prae-
 pararent, ut animas Christi sanguine redem-
 ptas de manibus hostium liberarent, quidam de
 Pomesania Nobilis dictus Maeto filius Pipini,
 dum ab eo Fr. Henricus Marschalcus quare-*
 ret,

ret, quomodo aggrediendi essent hostes, ait, relinquamus equos nostros longe a nobis, ut non sit nobis spes redeundi ad eos & accedamus pedestres ad ipsos, sicque populus destitutus auxilio equorum, manebit in praelio, aliter in fugam sine dubio convertetur, cui consilio militum Regis Dacia, de Revalia, & plures alii contradixerunt asserentes, quod propter gravitatem armorum non possent durare in bello sine equis. Quo facto venerunt Curonenses petentes humiliter, quod si Deus daret Christianis victoriam, & tunc eis mulieres & parvuli liberi redderentur, quorum precibus licet fratres satis fuerant inclinati, communis tamen populus Pruschie & Livonia contradixit asserens, quod de captivis eorum fieret secundum consuetudinem in bello hactenus observatam, & quare Curonenses tantam conceperunt indignationem contra fidem & fidelium turbam quod dum fratres inciperent Lethovinos impugnare ipsi tanquam apostate a tergo Christianos hostiliter invaserunt, & percutientibus Lethovini

nis ante, Curonensibus retro, totus quasi populus terræ, derelictis ibi Fratribus & eorum fidelibus recessit. Ex tunc quidam Nobiles de Pruschia fideliter fratribus adhaeserunt, quorum unus de Quedenow Sambita Sclodo pater Nalubi, convocans suos consanguineos & amicos, ait: Hodie reducite ad memoriam venustatem vestium, quæ vobis per fratres sæpius sunt oblata, & pro amæno ipsarum colore permittatis hodie vestem corporis vestri sanguine vulnerum rubricari, & pro dulcedine medonis seu mellicrati, quod de manu ipsorum sæpius sumpsisstis, bibite hodie amaritudinem diræ mortis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis. Hoc factò intervenerunt viriliter conflictum, & tanquam alteri Macchabei pugnaverunt, factumque est ibi grande bellum, ex utraque parte pluribus cadentibus, tandem post longam altercationem habitam inter eos fratres permittente Domino victoriam perdiderunt, quia tota virtus exercitus sui per fugam omnis populi fuerat enervata, cecideruntque in illo conflictu

F

in



in die B. Margaretha in terra Curoensi in
campo juxta fluvium Durbin frater Burgar-
dus Magister Livoniae, & frater Henricus Bo-
tel Marschalcus Pruschiae, & cum eis CL
fratres, & de populo Dei tanta multitudo, quod
eorum numerum non audiui. Post hanc stra-
gem hostes secuti sunt populum fugientem, qui
adeo meticulosus factus fuit, quod tres vel qua-
tuor hostes centum Christianos occiderent, aut
cum magna verecundia fugarent. Ecce quomo-
do confortati sunt inimici nostri in multitudine
spoliorum, equorum & armorum, qui de ma-
nibus tot millium occisorum rapuerunt, & nunc
gloriantur de virtute sua. Contere ergo Deus
fortitudinem illorum, & disperge illos, ut co-
gnoscant, quia non est alius, qui pugnet pro
nobis, nisi tu Deus noster.

Jucundum Lectori fore arbitramur si sub-
jiciamus praesagia quae de hac strage collegit
promore suo idem Dusburgius, laudandus
quidem ob fidem, uti supra jam diximus, scri-
ptor, sed magna superstitione refertus.

CAPIT



CAPUT 82. ita habet.

DE PRÆNOSTICATIONE HUIUS
BELLII.

Frater Hermannus dictus Sarracenus cum de castro Kuningsberg cum aliis fratribus ad bellum Curonia prædictum procederet, B. Virgo Maria apparens ei dixit: Hermanne ego ad convivium Filii mei te invito. Unde idem Fr. Hermannus dum recederet, dixit quibusdam fratribus: Valet, a modo me non videbitis, quia Virgo Dei genitrix me ad æterna gaudia invitavit.

AD IDEM.

Fuit in partibus Almannie Deo devota mulier in quodam inclusorio, quæ fuit soror fratris Conradi de Wuzuvangen, qui postea fuit Magister Generalis domus Teutonice, cui Dominus apparens, ostendit ei hanc stragem in quadam visione. Vidit enim fratres & eorum armigeros cum infidelibus bellare &
F 2 *occidi*

occidi, & eorum animas in Caelum ab angelis deportari.

ITEM DE EODEM.

Eandem omnino similem visionem vidit quidam rusticus triturator, vir simplex & rectus ac timens Deum in terra Pruschia, dum staret ante fores domus suae, vidit manifeste in aere fratres cum Lethovinis bellantes, & vocavit ad se familiam suam, & ait: Nonne videtis, quomodo nostri fratres pugnant cum infidelibus, modo fugiunt tum Pruscheri quam Livonienses, modo fratres & pauci cum eis stant in bello se viriliter defendentes, undique vallati hostibus. Heu modo occiduntur. Nunc video B. Virginem Mariam & Sanctas Virgines & Angelos Dei cum animabus ipsorum ascendere in caelum. Inter has animas, ut uterque vidit, duae fuerunt eminentiores aliis, quae fuerunt anima fratris Hermannus dicti Sarraceni, & cuiusdam fratris dicti de Glisbergk, de cuius statu in edificatione castrorum Christi.

Christburg superius est premissum. Concordabant etiam ambo in hoc, quod omnes animæ, quarum corpora in hoc conflictu Curonia ceciderunt, salvata fuerunt præter unam. Quæ fuerint causæ damnationis suæ, nescio, Deus scit. Ex hoc colligendum est, & indubitanter credendum, quod ipse Christus, per quem nihil in terra fit sine causa, hanc plagam apostasie in populo suo fieri permisit, ut hi interfecti mercedem promeritam reciperent in cælis; superstites autem in periculo constituti magis ac magis convalescerent in fide, & confunderent non credentes, quia virtus fidei in securitate periclitatur, & in periculis est securus, & intelligas in operibus bonis idem.

Sequentium Magistrorum virtute melior fortuna iterum restituta fuit: imo si quis res Magistrorum ordinis Livonici, & ante & post conjunctionem cum ordine Teutonico gestas in summa complecti velit, dici de ipsis potest, quod virtute sua totam Livoniam in

suam Episcoporumque Livonicorum potestatem redegerint.

Cæterum Chytræus vir eruditissimus in Chronico suo Saxoniae, minime ex titulo æstimo operis, arbitratur ea lege Fratres Ensisiferorum Cruciferis ordinis Teutonicorum se subjecisse, ut vicissim Episcopi Prussici subessent Archiepiscopo Rigensi (*Episcopatus enim Rigensis in Archiepiscopatum fuit mutatus tempore Alberti II. quinti Livoniae Episcopi.*) Equidem dubium nullum est quin Prussiae Episcopi, Archiepiscopo Rigensi ut Metropolitano suo fuerint subiecti, sed in ipsa conjunctione Ensisiferorum cum ordine Teutonico id fieri non potuisse, ideo asserit aliquoties jam a nobis allegatus Hartknoch in notis ad Dusburgi part. 3. c. 33. quoniam Rigenses eo tempore tantum habuerunt Episcopum, utpote cum circa annum 1255. demum Archiepiscopalem dignitatem adeptus sit, docente Ruffovio, Albertus secundus, putatque idem Annotator tempus subjectionis Archiepiscopo Rigensi factae determinari non posse.

Osten-



Ostenſum ſupra eſt ſatis ex Abbate Lube-
cenſi atque Innocentii tertii Epistolis, acres
contentiones ob æmulationem potentiæ inter
Magiſtros ordinis Livonici & Episcopos Li-
vonicos agitatæ fuiſſe. Debet tamen adhuc
Lector quoque remitti ad epistolam ejusdem
Innocentii quæ occurrit in lib. 16. Edit. Baluz. n.
122. in qua Conſervatores (*uti de Jure Canonico*
vocantur,) dedit fratribus militiæ Chriſti de
Livonia, juiſitque, quoniam Rigenſis Episco-
pus fratres in multis opprimere conſueviſſet,
ſi conſtaret memoratum Episcopum rurius
malitioſe vexare fratres, ut in expenſas eum
fratribus condemnarent. Addatur ejusdem
lib. 16. epistola 128. quæ graviter increpat Fratres
ordinis in Livonia, *quod non timeant Chriſti*
Evangelio offendiculum præbere, dummodo poſ-
ſeſſiones ſuas & redditus poſſint ampliare. Quem-
admodum autem jurgia hæc cœperunt ante ce-
lebrem iſtam conſociationem cum ordine Teu-
tonico, ita graviore cum impetu poſt dictam
conjunctionem ſæpius recruderent. Affectabant
nimi-



nimirum Episcopi imperium in ordinem, Magistri autem ordinis, aliquot Episcopatus abolitos cupiebant, reliquos vero, præcipue autem Archiepiscopatum Rigensem, sibi subicere nitebantur. Et si quando Archiepiscopus asserebat, ordinem tertiam tantum terrarum partem ab initio ab Episcopis, eamque in feudum ab iisdem Episcopis tenendam accepisse, respondebatur Magistri ordinis nomine, Equites ordinis maximam ditionum partem sanguine suo redemisse, quod autem reliquæ terræ in feudum ab Episcopis recognoscendæ sint, de eo ex antiquis documentis non constare. Effecerunt id tandem Magistri Ordinis, ut per transactionem inter Fromhildum a Fiffhausen Archiepiscopum Rigensem (qui anno 1348. Archiepiscopalem dignitatem obtinuit) & Wilhlemum a Frimersen Magistrum factam, juramentum Archiepiscopo a Magistro ordinis præstari solitum remitteretur, ita tamen ut Magister ordinis omni jurisdictioni in urbem Rigam renunciaret.

Quia



imo Magister Jobus Ulsenus licet Wenceslaus Imperator jura Archiepiscopi qui tunc erat Johannes a Sinten, defenderet, decretum quoque pro Archiepiscopo fecisset, Pontificem tamen Romanum Bonifacium IX. adeo in partes suas pertraxit, ut Archiepiscopatum ordini subjiceret. Postea Magister Johannes Osthoffius de Mengeden Sylvestrum Archiepiscopum eo adegit ut dimidiam jurisdictionem & dominium urbis Rigæ ordini concederet, & juri integræ jurisdictionis, quam præcedentes Archiepiscopi post disceptationem coram Pontifice & Imperatore Carolo IV. lata sententia obtinuerant, renunciaret Kirckholmia anno 1453. Qui Johannem Volthusium Osthoffii successorem in Magisterio ordinis excepit, Bernhardus de Borch adeo graviter rursus afflixit Ecclesiam Rigensem, ut etiam a Pontifice excommunicaretur. Agit de ista excommunicatione præter Scriptores Historiæ Livonicæ, Chronicorum Sclavicornum auctor incertus, quem exhibet Erpoldus Lindenbrogius in

G

Scri-



Scriptoribus Septentrionalibus: verba ejus talia sunt: Eodem tempore Archiepiscopus Rigensis missas literas excommunicationum per quendam Lippoldum Prapositum Rigensem contra Bernhardum de Borch Magistrum ordinis in Livonia et suos complices, qui suis malitiis quasi totam Ecclesiam Rigensem devastabant. Quis quidem Lippoldus dum diligentiam executionis perageret in Lubic, et aliis civitatibus tandem in Prussia veneno extinctus est. Monachus enim perversus deficit prae omnibus deficientibus, et si proficit Monachus bonus, melior eo homo non est.

Substitit ista Equitum Livonicorum cum ordine Teutonico conjunctio, qua durante Magistri ordinis Livonici a Magistro Generalis ordinis Teutonici constituti fuerunt, usque ad Valterum Plettenbergium qui anno 1495. Magister Livonicorum Equitum creatus, prudentia, probitate & fortitudine clarissimum se reddidit. Hic primus, appensis, Albertus

Brandenburgensis



Brandenburgico Borussiae Magistro, ad bellum Polonicum se paranti, aliquot aureorum milibus, liberum se reddidit ab imperio Prussico, idemque primus in ordinem Principum Imperii est adscriptus. Russovius de collata ipsi dignitate Principis ita loquitur: *Ock hefft ydt disse löfflike Meister dorch seine herrlike daden darhen gebracht, dat he in den tall der Försten des Römischen Rykes mit allen synen nachfolgenden Meisters ys angenamen vworden, vvelcker de erste gevesen ys, de den Förstliken Tytel gefort, unde solches van dem Keyser Carolo quinto erlanget hefft: Praclarus hicce Magister per egregia facta id effecit ut in numerum Principum Imperii ipse cum successoribus suis fuerit receptus, primusque fuit qui usus est Principis titulo, quem ab Imperatore Carolo quinto accepit.*

Exemptionem istam ab Imperio Magistri Generalis ordinis Teutonici Russovius & alii referunt in annum 1513. Fridericus autem Menius in Prodomo Historico Juris Livonici



p. 12. ostendit falsum esse hunc calculum, quoniam ex duobus diplomatibus, quibus & Magister ordinis Livonici a jurisdictione Magistri ordinis Teutonici liberatus, & cives Livonici a vinculis, quibus Magistro Generali ordinis Teutonici tenebantur, exsoluti, ad subjectionem, obedientiam atque fidelitatem Magistro ordinis Livonici præstandam remissi fuerunt; Unum datum est Regimonte die Michaelis ann. 1521. Alterum Posonii die Jovis post Festum Valentini ann. 1525. Debet autem ad hunc Menii locum id annotari, quod, quamvis ab istis, quæ designat, temporibus Magister ordinis Livonici non amplius fuerit subiectus Magistro ordinis Teutonici, non omnis tamen reverentia erga eundem ordinis Teutonici Magistrum cessaverit. Quod enim Magistri Livonici etiam post ista tempora comiter habere debuerint Magistrum Teutonici ordinis, vel inde quoque satis superque potest probari, quoniam in Conventione Vilnensi per quam Livo.

Livonia Poloniæ accessit, hoc expresse in stipulationem deductum, ut Sigismundus Augustus Poloniæ Rex, *inprimis Magistri ordinis Teutonici per Germaniam animum, ac voluntatem ad probandam mutati regiminis necessitatem inducere & flectere deberet.*

Ille ipse de quo agimus, Valterus Plettenbergius cæsis aliquoties numerosis Russorum, qui Livoniam invaserant, miserabiliterque devastaverant, copiis, eo rem tandem adduxit, ut induciæ cum magno Moscoviæ Duce in quinquaginta annos fierent. Observat Russovius durante hac pace luxuriam, superbiam, atque libidinem inter equites Ordinis (dominorum mores imitantibus famulis, qui vocabantur *die Stallbrüder* /) Prælatos, Canonicos, omnisque omnino generis homines, in summa, tam inter imperantes quam inter parentes adeo invaluisse, ut Deus scelerum vindex gravissimus, justissimo iudicio Livoniæ immiserit atrocissimum istud bellum quod Moschorum Czar Johannes

G 3

Basi.



Basilides II. inchoavit, quodque occasionem mutando Livoniæ regimini dedit. Equidem Plettenbergius latis multis salubribus legibus, satis, quantum in ipso erat, præcaverat, ne ingruerent vitia, quibus homines pace, atque otio fruenter facile se contaminare possent, sed neque bonæ leges neque effulgens in Livonia istis temporibus lux Evangelii, a perversitate morum Livonos revocare poterunt.

Acceleravere ruinam nova dissidia quæ eruperunt anno 1556 cum Magister ordinis esset Henricus a Galen. Occasio jurgiorum referente Chytræo, hæc erat; In Conventu ordinum Livoniæ Wolmariensi, qui habitus fuit anno 1546. Decretum communi omnium consensu factum erat, & ab ipso Archiepiscopo subscriptum & obsignatum, ne ulli exteri Principes vel Domini, ab ullo Livoniæ Magistro, Episcopo, aliisque Status in Livoniam vocarentur, nec Coadjutores adoptaretur, nisi communis & liberrimus omnium

mnium ordinum Livoniæ tam minimorum, quam summorum consensus accederet. Qui secus faceret, ut hujus Collegæ, Capitula, Præfecti, Nobilitas & cæteri subditi, ab obedientia & fidelitate Domino jurata liberi, cæteros ordines recessum illum servantes juvare contra suum Dominum tenerentur. Jam autem Wilhelmus Brandenburgicus Archiepiscopus Rigensis Frater Alberti qui tunc Borussiae Duxerat, inscio Collegio ac Consiliariis ac Nobilitate Diocesis, Coadjutorem sibi adjunxerat Christophorum Ducem Megapolitanum, Alberti filium. Huic rei Magister ordinis Henricus a Galen, Hermannus Episcopus Derbantis, & reliqui Livoniæ Status gravissime quidem repugnarunt. Hincque etiam Conventu Wendæ instituto, Nobilitatem ac cæteros Archiepiscopi subditos adhortati sunt, ut renunciata Domino suo fidelitate, quemadmodum id juxta recessum Wolmariensem jus fasque esset, ad propugnationem dicti decreti concurrerent. Verum Archiepiscopus Rigensis,



sis, cum valde confideret favore auxiliisque
 Sigismundi Poloniae Regis, ut & fratris Al-
 berti Borussiae Ducis, parum hac re motus,
 se ad bellum parat, infelici tamen eventu,
 siquidem a Wilhelmo a Furstenberg, quem
 ordinis Magister, ingravescente senio, Coad-
 jutorem elegerat, in arce Kakenhusiana una
 cum Christophoro Megapolitano obsessus, atq;
 captus fuit. Posthac Ferdinandus Imperator, &
 Christianus III. Rex Daniae, a Duce Borussiae fo-
 rorio suo, & Johanne Alberto Duce Megapo-
 litano impulsus, Legatos in Livoniam de li-
 berando Archiepiscopo & controversiis diri-
 mendis, belloque finiendo miserunt, tan-
 demque res eo deducta, ut liberato, &
 in pristinum statum restituto Wilhelmo Ar-
 chiepiscopo, Dux Christophorus, successor
 maneret, sicut videri potest ex Pasvvalicae com-
 positionis instrumento, quod & apud Chy-
 traum, & apud Goldastum in Constit. Im-
 perial. Tom. I. reperitur, nos autem inter Acta
 huic Dissertationi subjuncta Num. I. exhibe-
 mus.

Dum



Dum itaq; hæc aguntur, Joannes Moscoviæ
 Czar, bellum Livoniæ infert anno 1558. Cum cau-
 sæ belli contineantur in Manifesti, uti vocant,
 Moscovici summario, quale affert Russovius,
 congruum instituto nostro erit, ut id hic
 „ inferamus. Quoniam ab antiquis tempo-
 „ ribus in Livonicis urbibus, Derbato, Riga
 „ atque Revalia, permissum fuisset templa ædi-
 „ ficare, in quibus Mercatoribus Russicis exer-
 „ citio religionis suæ frui licuisset, quoniam
 „ etiam ab antiquo in dictis urbibus, Mer-
 „ catores Russici domus habuissent, in qui-
 „ bus mercaturam exercere sine ullo impedi-
 „ mento ipsis liberum fuisset, porro, quia, Ma-
 „ gister Livoniæ, Archiepiscopus Rigensis, &
 „ Episcopus Derbatensis, qui una cum Se-
 „ natu Derbatensi, se Magno Duci debi-
 „ tum tributum intra triennium solvere vel-
 „ le non tantum datis sub sigillo literis, sed
 „ etiam jurato promisisset, promissionis
 „ suæ ac juramenti obliti, contra omne
 „ jus fasque egissent, atque Russica templa
 H „ in

„ in cloacas , atque alias sordidas do-
 „ mos mutassent , imagines Salvatoris , Apo-
 „ stolorum & Martyrum combussissent atque
 „ dehonestassent , Russicisque Mercatoribus li-
 „ beram mercaturæ exercendæ facultatem ad-
 „ emissent , omnibusque antiquis juribus &
 „ privilegiis spoliassent , tributum sibi debi-
 „ tum solvere præfractæ negassent , non atten-
 „ dentes quod sæpius per Legatos , ut meliorem
 „ mentem induerent , admoniti fuissent , admo-
 „ nitionibus nimirum omnibus in cassum ab-
 „ euntibus & duritie cordis Livonum perin-
 „ de ac Pharaonis semper ingravescente , ideo
 „ coactum se fuisse Moschus dixit , ut bellum
 „ primo minitaretur , verum quoniam ne sicqui-
 „ dem Livones faniores facti fuissent , proinde
 „ eo jam rem devenisse declaravit , ut igne ferro-
 „ que vexari deberent , ac quidem non ex sua
 „ sed propria Livonum culpa.

Quod attinet tributum istud de quo men-
 tionem facit Manifestum Moscovicum ,
 res ita habet : aliquot annis ante hocce bel-
 lum,

lum, Russorum Regnator, occasionem occupandæ Livoniæ captans, petierat ab Episcopatu Derbatensi tributum, quod ab antiquo Russorum Principibus pendi solitum fuisse prætendebatur, (*refert jam Arnoldus Lubecensis Regem Russia a Livonibus tributum petiisse.*) Cum autem recusantibus civibus Derbatensibus Moschus rem per Legatum urgeret, Episcopus Derbatensis convocavit Ministros suos, Senatoresque civitatis Derbatensis. In hoc concilio suasit Georgius Holdschuer, Episcopi Cancellarius, debere promitti quidem Moscho tributum, a solutione tamen deinde abstinendum esse. Cum autem ipsi graviter contradiceret Johannes Hencke Consul civitatis Derbatensis, dicens: semel promissa præstanda fore, neque Russorum Principem passurum ut ludibrio haberetur, respondit alter; non posse melius nunc salutis publicæ consuli, quam ut vana spe lactatus Moschus impræsentiarum vim intermitteret, promittendum itaque ipsi esse tributum, posse eum deinde in jus



vocari ad Cameram Imperialem, in qua facilis futura sit contra ipsum victoria. Ita tandem consensum in praestationem tributi, & promissio literis sigillisque roborata. Refert Russovius lepidum Legati Moscovitici dictum quod hac occasione protulit, cum enim ipsi literae obligationis traderentur, porrexit eas Scribae suo, qui cum eas a manu heri sui accipere vellet, retraxit literas legatus, inque sinum suum immisit, dicens Scribae, Tu nescis, quomodo id quod tibi dare volebam, tractandum sit: Est pusillus infans, qui bene foveri, & pane similaceo, & lacte nutrimus debet, cum enim adolescet, ingentem utilitatem Magno Duci nostro procurabit: addit Russovius Legatum se convertisse deinde ad Dorstelmannum Consulem Derbatensem, hortatumque esse, ut in tempore pecuniam colligeret, quoniam infanti isti, ubi ad maiorem aetatem pervenisset, ea valde necessaria esset futura.

In isto autem quod a Johanne Basilide gerebatur bello cum misere desolaretur Livonia

voniam, & tantum non funditus everteretur,
quale remedium quæfiverint ordines Livoniæ,
narrabimus verbis illustrissimi Historici Jaco-
bi Augusti Thuani; Ita autem ille in libro
Historiarum 28. *Sigismundus Augustus Po-*
loniæ Rex, ad cujus patrocinium Livonici or-
dinis Magister & Archiepiscopus Rigen-
sis, ac Nobilitas illis subjecta confuge-
rant, cum Livoniam lacerari & in partes
distrabi, & jam Revaliam se totam Sueco
subjecisse, aliquot etiam provincias a Magno
Holsato teneri cerneret, non amplius teneri se
prioribus de defensione pactis caussatus auxilia
adversus Moscum utrique denegavit, nec aliam
initi cum iis fœderis denuo confirmandi ratio-
nem esse demonstravit, quam si Archiepisco-
pus & ordinis Magister se cum omnibus sub-
ditis suis Poloniæ Regno ac Lithuania subde-
rent, ac solenni sacramento fidem obstringerent.
Illi vero cum frustra auxilium ab Imperio an-
tea flagitassent, ab eo deserti & extrema coacti
necessitate, quippe ingentia Livoniæ vulnera

H 3

jam



iam magnam partem a Mosco & aliis occupata ac vastata remedium praesens deposcebant, ut reliquas Livoniae provincias, ne in Mosci potestatem devenirent, nomini ac religioni Christianae conservarent, assensum praebuere, missaque post aliquot mensium tractationem in Livoniam Nicolao Ratzevilio Palatino Vilnensi primariae nobilitatis viro in has condiciones transactum fuit: primum ne mutatio principis Livoniae apud Caesarem aut Imperium damno sit, confessionis Augustanae professio libera permittatur, nobilium privilegia confirmentur, omni moda jurisdictio juxta leges & consuetudines ac mores antiquos servetur, salvo provocationis jure, penes Magistratum Germanicum jurisdictio maneat, Magister ordinis Dux creetur, eique ditiones novae hereditario jure attribuantur. Transduinana provincia Regi cedat, Riga item cum ejus omni territorio ac jurisditione, prout Imperio suberat, in eaque Gothardus novus Dux, tanquam Regis Poloniae legati partes teneat; alia item, quae ad compen-

pensationem juris, quod Magno Holsato com-
 petebat, pertinebant, de immunitate a bello,
 debitis, moneta, eodem instrumento compre-
 hensa, quod Vilnæ 3. Kal. Decembr. factum
 est, (produximus hoc instrumentum ex Chy-
 træo inter Acta sub Num. II.) triduoque in-
 terposito, privilegia (videantur Acta Num.
 III.) nobilitatis altero instrumento confirman-
 tur, secundum hæc Sigismundus Augustus,
 Wilhelmus Brandenburgicus, Rigensis Archie-
 piscopus, & Gothardus fidem solenni jurejurando
 (inspiciantur Acta Num. IV.) interponunt, ea-
 que de re acta publica conficiuntur, quibus &
 Rex pollicetur, omnia illicite a Livonia alie-
 nata aut per ultimos belli tumultus a Moscis
 avulsa se recuperaturum, in idque omnes opes
 suas insumpturum, iisque recuperatis bello ab-
 lata antiquis Dominis restitutum. Patien-
 tiam ea in re Archiepiscopi non tulit Christo-
 phorus Megapolitanus Brandenburgico adjutor
 dilectus, qui alium, quam Imperatorem pro
 summo Magistratu agnoscere recusavit, mox-
 que

que conscensa nave in Germaniam perrexit
ubi cum nullam a Cesare & Imperii ordinibus
liberanda Livonia spem reliquam videret, ad
turbida cum Sueco consilia, specie lata, confecta
periculosa, exitu tristia animum adiecit. Den
3. Non. Mart. ut transactio ab utraque parte
executioni demandaretur, Gothardus coram
Nic. Ratzevilio, cum quo priore anno trans-
egerat, ordinem ritu solenni egerat, tradidit
cruce, sigillo, literis ac diplomatis omnibus
que ordo Livonicus a Cesare ac Pontifice ac-
ceperat, claves præterea arcis Rigensis ac por-
tæ civitatis in Ratzevilii manus consignat, &
Commendatoris officium, jus cudenda moneta
vectigalia piscium atque alia jura Regi cedit
quod extinctæ militiæ Teutonicæ CCCLVII. pop-
ulam cœperat, anno, triste spectaculum, quo
cunque Germanici nominis studiosi erant, non
sine lachrymis intuebantur; Poloni contra læti-
tominibus & exclamationibus exceperunt, cum
Sigismundus Augustus quantumvis pius Prin-
ceps ulla religione prohiberi potuit, quin exemplum
rel-



religiosissimi patris, qui eadem ratione olim Prussiam Imperio ablatam juris Polonici fecerat, abolito Livonico ordine & Archiepiscopali jurisdictione, provincia tranquillitati ac securitati simul & regionum suarum amplificationi, etiam religione mutata consuleret. Statim autem resignatione facta Gothardus, uti convenerat, a Ratzevilio Regie majestatis nomine Dux Curlandiae ac Semigalliae publice proclamatus est, & in ejus nomen tanquam hereditarii Domini mox nobilitas Curlandica ac Semigallica solenni juramento adaeta, ac postmodum ab eodem Ratzevilio Regis itidem nomine summus Regie majestatis legatus ac Livoniae gubernator in Rigensi Curia renunciatur, clavibus arcis ac civitatis, quas tradiderat, ipsi redditis.

Ultimus itaque inter Livoniae Magistros (Germanice Meister oder Heermeister des Liefländischen Ordens dictos) primusque inter Duces Curlandiae fuit (pleno nomine) Gotthardus Kettlerus, ex antiquissima in Ducatu Bergensi prosapia

I oriun-



oriundus, quem omnes Historici summis elo-
giis cumulant. Videatur inprimis quoque
Chytræus Chron. Saxon. lib. 1. pag. m. 21. qui
eum vocat Principem optimum, justitia, bo-
nitate & omnibus laudati Herois virtutibus
illustrem. Rem gratissimam sine dubio facie-
mus Lectori, si partem illustrissimæ Familiz
e qua ipse descendit, partemque ejus quæ ab
ipso originem trahit, hic apponamus.

GOT.

GOTHARDUS KETTER in Ado-
Eques curam



GOTHARDUS KETLER in Aslo, Eques auratus, ex conjugē
Margarita a Batenberg sex filios reliquit, ex quibus

GOTHARDUS Eques, ex Sibylla Wilhelmi a Nesselrad, Præfeti Ducatus
Bergensis, filia, septem filios suscepit, qui sunt

Wilhelmus
Episcopus
Monaste-
riensis.

Wirich. GOTHARDUS DUX
CURLANDIÆ & SEMIGAL-
IÆ in Livonia primus
+ 1587.

Fridericus Dux
Curlandiæ post
patrem.

Wilhelmus
Dux Curlandiæ
hic successit fra-
tri suo.

Jacobus Dux Curlandiæ.

Fridericus Casimirus Dux Curlandiæ + 1698.

FRIDERICUS WILHELMUS Dux Curlandiæ
natus 19. Julii 1692.

Bertramus. Go- Theo-
suus doricus. Confilariu
Ducis Juli-
acenſis.

Wilhelmus
& alii no-
vem.

Cum innuerimus autem, Gothardum Ket-
lerum primum fuisse qui non Curlandiæ tan-
tum sed & Semigalliæ dominium, sub superiore
nimirum sive directo Poloniæ dominio na-
tū fuerit, convenit, brevissime de origine nomi-
nis Semigalliæ aliqua proferre. Solet nimi-
rum vox ista derivari ex lingua Lettica, a
vocalibus *semmes* & *galle*, quæ idem significare
dicunt ac regionis finem, quemadmodum hoc
de re videri potest Kelchius aliquoties jam nobis
allegatus; addatur junior Schutzfleischius in
historia Ensisferorum, qui Einhornium in His-
toria Lettica hanc quoque sententiam fovere
refert: de cætero notum est quod in Semi-
gallia sedes sit Ducum Curlandiæ, in urbe
nimirum Mitavia.

Ut redeamus unde divertimus, tempus quo
Archiepiscopus Rigensis & Magister ordinis
Livonici una cum reliquis Livoniæ mem-
bris se subjecerunt Regno Poloniæ, incidit in
annum 1561. Susceperat autem jam anno
millesimo quingentesimo quinquagesimo
nono

nono Sigismundus Poloniæ Rex Livoniæ
tutelam atque defensionem contra Rus-
fos, certis sub conditionibus, quas Chy-
træus atque ex eo Conringius recenset in opere
de finibus Imperii lib. 2. cap. 29. ut nimi-
rum Sigismundus Livoniam defenderet sal-
vo Imperii Romani jure, Livonia autem Re-
gno Polonico pro protectione solveret sex-
centa millia aureorum; & hæc sunt priora
illa pacta, quibus, cum ad auxilium Sigismundi
iterato confugerent Magister ordinis & Ar-
chiepiscopus, Rex causatus est se non am-
plius teneri, quemadmodum id tradit Thua-
nus. Ad cujus narrationem (*quæ tamen
ex Chytræo quem in rebus Germanicum Im-
perium concernentibus secutus est Thuanus,
hausta est*) illustrandam id quoque notandum,
quod ante Conventionem Vilnensem Gothar-
dus Kettler legatos miserit ad Regem Sueciæ E-
ricum XIV. ut auxilium ipsius implorarent, qui
vero re infecta ex ipsius aula discesserunt.
Majorem apud Suecos successum habuerat le-

gatio civitatis Revaliensis. Hæc enim cum
meret ne a Moscis obsideretur, ab Erico Re
ge pecuniam sub sufficienti cautione mutuo
petierat. Responsum ipsi fuit, Regem Re
gnumque Sueciæ non habere pecuniam quam
aliis erogarent; si autem se subicere ipsi Re
gnoque suo vellet, promisit curæ sibi fore ut
ipsam tanquam membrum regni sui defende
ret. Patefacta mente Regis civitas Revaliensis
& Nobilitas Esthonica optime salutis suæ pro
spectum iri existimantes, si oblatum auxi
lium quamvis sub addita mutandi regimi
nis conditione acceptarent, præsentibus le
gatis quos Ericus eum in finem miserat, fide
litatis iuramentum Regi Regnoque præstite
runt. Equidem caute hac in re egerunt Re
valienses, Nobilitasque Harriæ & Winæ
Magistrum enim ordinis certiores fecerunt
de responsione atque promissione Regis Sueciæ
indicaveruntque simul Magistro, se nequa
quam a fidelitate ipsi debita defecturos, si
modo ipse ulla ratione imminens periculum

ab ipsis propulsare posset. Et Gothardus quidem Kettlerus enixissime operam dedit, ut multis promissis ipsos in fide & obsequio retineret, verum cum verba non sequeretur effectus, tandem ad evitandam internecivam perniciem, renunciaverunt Magistro Livoniæ obedientiam, Suecosque Dominos agnovere: prouti Thuanus quoque innuit.

Magnum Hofatum quod attinet, quem aliquot Livoniæ provincias tenuisse itidem supra relatum est: fuit is filius Christiani III. Daniæ Regis, fraterque Regis Friderici II. qui Fridericus, quoniam pars Holsatiæ, quæ a parente transmissa erat, inter ipsum, fratresque duos, Johannem nimirum & Magnum æqualiter dividenda erat, ut partem quam Magnus in Holsatia habebat, sibi acquireret, diœceses Osiliensem & Curoniensem in Livonia (quas Johannes a Munchhausen Episcopus, acceptis aliquot millibus Joachimicorum, Regi Daniæ cesserat,) Magno, renuncianti suo, quod in Holsatia habebat, patri-

patri-



patrimonio, tradidit, quibus paulo post Magnus
Holsatus adjecit jus in Revaliensem Dioecesim
vendente id Mauritio Wrangel Episcopo Reva-
liensi. Hic ipse Magnus Holsatus anno 1570
a Moschorum Czare ad quem se contulerat,
& cujus deinde cognatam, Mariam, Wol-
demari Andrevvitz filiam uxorem duxit, Rex
Livoniæ fuit declaratus. Memorabilis est
epistola quam misit ad civitatem Revaliensem
„ Nos Magnus Divina gratia, Rex Livoniæ,
„ Dominus Esthoniæ & Lettiæ, Hæres in Nor-
„ vvagia, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ &
„ Dithmarskiæ, Comes Oldenburgi & Delmen-
„ horstæ, notum facimus omnibus inhabitato-
„ ribus civitatis Revaliæ, qui Christianitatis
„ utilitatem, afflictæ atque desolatæ Livoniæ
„ commodum, libertatem, & veram salu-
„ tem quærunt, quique & proprium & po-
„ sterorum damnum, perniciem atque rui-
„ nam, humanique sanguinis effusionem a-
„ vertere cupiunt: Postquam infelix atque af-
„ flicta Livonia a pluribus nationibus misere
deso-

„ desolata fuit, incolæ autem onerati atque op-
 „ pressi, ardentibus precibus Deum Omnipo-
 „ tentem imploraverunt, ut ipsis Christia-
 „ num ex Germanis Principem dare vellet,
 „ Nos equidem ab initio regiminis nostri, pa-
 „ riter benignissimum Numen ex animo fui-
 „ mus precati, ut remedia suppeditaret, qui-
 „ bus pristinam salutem calamitosissima pro-
 „ vincia recuperare posset; tentavimus quo-
 „ que varias vias, ut a malis suis liberari
 „ posset, sed sine effectū, dirigente nimi-
 „ rum ita Divina providentia, donec tandem
 „ Imperator, Magnus Princeps & Regnator
 „ omnium Russorum, his ipsis temporibus,
 „ datis sub sigillo suo Literis, accedente quo-
 „ que osculatione crucis, hac gratia nos affi-
 „ ceret, ut nos Regem totius Livoniæ con-
 „ stitueret sequentibus sub conditionibus: *Vult*
 „ *nimirum Magnus Russorum Princeps No-*
 „ *bis totius Livoniæ possessionem procurare sive*
 „ *vi, sive amicabili transactione, vult præ-*
 „ *terea cum sacro Romano Imperio, contra*

K

„ Tur-



„ Turcas aliosque Christianitatis hostes fœdus
 „ inire, insuper nullus alius Livoniæ imperare
 „ debet, quam Nos, hæredes nostri, aut his
 „ deficientibus Corona Danica, aut ex Prin-
 „ cipibus Holsatiæ. Item nullus Russorum
 „ jus habere debet in Livonia regnandi, Impera-
 „ tor autem & Magnus Dux Russorum no-
 „ men Protectoris habere & debet & vult,
 „ qui etiam in tutelam Livoniæ totum Im-
 „ perium suum, imo vitam quoque suam se
 „ impendere velle per osculationem crucis promi-
 „ sit, pro qua tamen protectione Imperator al-
 „ que Magnus Dux a Nobis, levidense & mi-
 „ nime tanto beneficio dignum premium exequi.
 „ Quoniam autem Magnus Russorum Dux
 „ executurus promissa sua, nos cum exer-
 „ citu præmisit, ut Suecos ex Livonia pelle-
 „ remus: ideo si Civitas Revaliensis, ubi Li-
 „ teras has nostras legerit, sponte se, nobis
 „ nostrisque hæredibus, aut iis deficientibus
 „ Coronæ Danicæ, aut Domui Holsaticæ,
 „ subjicere voluerit, non tantum facta tectaque
 „ mane.

„ manebunt ipsius privilegia , sed imo auge-
 „ buntur illa insigniter terra marique. Ad
 „ quod faciendum si se paratam declaraverit
 „ civitas , in colloquium descendemus, inter-
 „ nunciisque sufficientem Regium saluum
 „ conductum præstabimus. Quod si vero civi-
 „ tas Revaliensis propria perniciæ, atque ruina,
 „ effusione sanguinis atque cædibus magis de-
 „ lectetur , sciat , Imperatorem & Magnum
 „ Ducem Russorum omnibus viribus suis u-
 „ surum, ut Livoniam devastet, ac depopuletur,
 „ incolasque in perpetuam servitutem redigat.
 „ Nihil magis optamus quam ut Deus Omni-
 „ potens hanc civitati Revaliæ imittat mentem,
 „ ut salutis suæ vel perniciæ memor sit, ut-
 „ que pristino Imperanti se submittat , si-
 „ mulque consideret , quanta privilegia terra
 „ marique consequi possit, quamque e con-
 „ trario impossibile ipsi sit , ut se defendat
 „ contra Imperatorem & Magnum Principem
 „ Russorum , qui ipsam non æstate tantum.
 „ sed hyberno quoque tempore , pro lubitu

„ oppugnare & domare poterit, ita ut nullum
 „ hac in re impedimentum Rex Sueciæ afferre
 „ queat, qui ipse, Deo volente, mox non tan-
 „ tum in Livonia, verum etiam in Finlandia &
 „ aliis locis quid contra ipsum decretum sit,
 „ sentiet. Id autem quod mendaces homines
 „ divulgaverunt, quasi bellum hoc in commo-
 „ dum Magni Russorum Ducis susciperetur,
 „ purum est figmentum, & mera fallacia,
 „ qua ut decipi se non patiantur Revalientes
 „ graviter eos adhortamur, illi autem qui hæc
 „ talia mentiuntur, sanguine suo culpam luant.
 „ Denique si sinceris nostris admonitionibus
 „ nihil proficere poterimus, coram Deo &
 „ universo Christiano orbe declaramus, in se-
 „ cuturorum malorum & calamitatum pe-
 „ nes Nos culpam non fore. Quænam au-
 „ tem super his omnibus mens vestra sit,
 „ scire per responsum vestrum cupimus: In
 „ fidem autem omnium eorum quæ supra
 „ dicta sunt, propria manu subscripsimus,
 „ sigillumque nostrum hic appendi curavi-
 „ mus.

Hilce



Hiscē emissis literis cum Magnus Holsatus Revalienses in partes suas pertrahere minime posset, sed illi firmiter in fide Suecis data permanerent, Holsatus exercitum Russorum admovit urbi, eamque oppugnare cœpit, vano tamen conatu, utpote cum obsidionem, quæ per sex menses & amplius duraverat, solvere tandem ac discedere cogeretur. Non cessavit tamen postea hinc inde vexare Livoniam. Aliquot annis post cum Holsatus inclinaret ad Polonos, Magnus Moschorum Dux re comperta eum exuit Regno quod ipsi concesserat, captivumque per aliquot menses detinuit, donec tandem ea lege liberaretur, ut vasallus Czaris esse, & quadraginta millia florenorum Ungaricorum solvere deberet.

Paucis annis post quam Magisterium ordinis Livonici expirasset, extinctus quoque fuit Archiepiscopus Rigensis, (*conf. rursus Thuan.*) cum enim defunctus esset Wilhelmus Marchio Brandeb. Christophorus Dux Megapolitanus,

K 3 Coad-



Coadjutor illius, qui paucis ante obitum
Wilhelmi diebus, aliquot turmis Suecicorum
militum comitatus, reversus erat, post mor-
tem ipsius, statim gubernationem dioecesis
suscepit, nulla tamen declaratione edita,
quod Regi Poloniae subiectus esse vellet. Ve-
rum cum deinde nitens auxiliis Erici Sueciae
Regis, Polonorum hostis, dioecesis occupare
conaretur, Regis Poloniae gubernator in Li-
vonia, Gothardus Curlandiae Dux, cum in
arce Dalem cepit, & in Poloniam misit, ubi
in custodia per quinquennium mansit. Ar-
chiepiscopus vero Rigensis gubernatio, a
Rege Sigismundo, Duci Curlandiae, donec
novus Archiepiscopus eligeretur, commissa.
Postea Archiepiscopus administratio in Johan-
nem Kotkevicium Lithuanum translata est. Hic
Archiepiscopatum in Ducatum vertit, & no-
bilibus Canonicis praedia Ecclesiastica, ut
feuda ad haeredes transeuntia distribuit.

Ex his quae in praecedentibus dicta sunt con-
stat, quonam modo maxima Livoniae pars in
Polo-

lonorum manus pervenerit. Equidem Poloniae Rex Sigismundus Augustus cum magnam haberet cupidinem totius provinciae occupandae, legatos miserat ad Ericum Sueciae Regem, petitem ab ipso ut traderet Polonis Revaliam quoque, reliquaue quae in Esthonia detineret loca, qui tamen a Sueciae Rege repulsam tulere. Imo Sueci quoque; ampliare fines suos in dicta provincia omnibus modis conati sunt. Utrique de caetero & Sueci & Poloni cum Moschis bellum gerentes, eos & Livonia & Esthonia depulerunt, pace inter Moschos & Polonos (sub Rege Poloniae Stephano) facta anno 1582. inter Moscos autem & Suecos (sub Rege Sueciae Sigismundo) anno 1595. Sub hoc Sigismundo, qui duplex sceptrum, Suecicum & Polonicum tenuit, grave iterum bellum exortum inter Suecos & Polonos, variaue utriusque partis fortuna certatum de provinciis Livonicis inter Sigismundum ejusque Patrum Carolum Sudermanniae Ducem cui administratio Regni delata erat, quique postea



postea, cum Sigismundo Suecici Regni ordine
obsequium renunciaſſent, in Regem Sueciæ ele-
ctus fuit. Duraverunt diffidia inter hæc duo
Regna donec anno 1635. induciæ in vi-
ginti & ſex annos fierent. Inſequenti-
bus temporibus a Carolo Guſtavo Palatino
cum reſignante Chriſtina Regina anno 1654.
Sueciæ Rex coronatus eſſet, Johanni Caſi-
miro Poloniæ Regi, filio Sigismundi (*ejus*
nimirum quem Suecia Regno privatum fuiſſe
modo diximus,) quod proteſtationem interpon-
curaſſet contra translationem Coronæ Sueci-
cæ in Carolum Guſtavum, bellum illatum, quod
jam ante gliscebatur, cum Poloni inducias in
pacem mutare variis rationibus detrectarent.
Cujus belli quis fuerit eventus ratione Livoniæ
de qua nos agimus, patebit ex ſubjunctis ar-
ticulis pacificationis Olivenſis factæ anno 1660.
inter eundem Johannem Caſimirum & Ca-
rolum XI. Sueciæ Regem Caroli Guſtavi fi-
lium. Tenor verborum talis eſt.

„Sit pax univerſalis & perpetua, & vera
ſine

„ sinceraque amicitia inter Serenissimum ac
 „ Potentissimum Principem ac Dominum,
 „ Dominum Carolum Suecorum , Gotho-
 „ rum , Vandalorumque Regem , Magnum
 „ Principem Finlandiæ, &c. &c. &c. Ejusque
 „ Majestatis successores & posteros Reges Sue-
 „ corum Regnumque Sueciæ atque subjectas
 „ illis intra vel extra Imperium, ditiones ac
 „ provincias ab una: atque Serenissimum ac
 „ Potentissimum Principem ac Dominum,
 „ Dominum Johannem Casimirum Regem
 „ Poloniæ, Magnum Ducem Lithuanix, &c.
 „ &c. &c. Ejusque Regiæ Majestatis successo-
 „ res ac posteros, Reges Poloniæ, Magnos
 „ Duces Lithuanix, Regnumque Poloniæ &
 „ Magnum Ducatum Lithuanix atque subje-
 „ ctas illis ditiones ac provincias, ut & ejusdem
 „ Majestatis & Regni Poloniæ Confœderatos,
 „ inprimis Serenissimum & Potentissimum
 „ Principem ac Dominum, Dominum Leopold-
 „ um electum Romanorum Imperatorem
 „ semper augustum, Germaniæ, Hungariæ,
 „ L „ Bohe-



„ Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia, Slavonia
 „ Regem, Archiducem Austriae, &c. &c. &c.
 „ Ejusque Majestatis hæredes ac successores
 „ provincias ac ditiones intra vel extra Impe-
 „ rium Romanum fitas, & Serenissimum
 „ Principem ac Dominum, Dominum Frid-
 „ ricum Wilhelmum, Marchionem Brande-
 „ burgicum S. R. Imperii Principem Electo-
 „ rem & Archicamerarium, Magdeburgi, Pru-
 „ siæ, &c. &c. &c. Ducem, ejusque Sereni-
 „ tatis hæredes & successores, provincias &
 „ ditiones intra vel extra Imperium Romanum
 „ fitas, ab altera parte, &c.

„ Serenissimus Rex (*Johannes Casimirus*)
 „ & Status Ordinesque Regni Poloniae, Ma-
 „ gnique Ducatus Lithuaniae, a modo &
 „ perpetuum cedunt vi hujus pacificationis
 „ Serenissimo Regi Sueciæ ejusque successoribus
 „ Regibus Regnoque Sueciæ, omnem
 „ iam Livoniam trans Dunam, quam Sueci
 „ hæctenus per tempus induciarum tenuit &
 „ possedit, ut & partes cis Dunanas omnes &
 „ Infa

„ Insulam Runen in mari sitam, quas per idem
 „ tempus induciarum Suecia tenuit, & pos-
 „ sedit, nec non quicquid juris Regi & Rei-
 „ publicæ Poloniæ in Esthoniæ & Osiliam
 „ hæctenus ullo modo competere poterat. Atque
 „ hæc quidem omnia & singula cum omni-
 „ bus suis pertinentiis terrestribus & mariti-
 „ miis, urbibus, arcibus, propugnaculis, bo-
 „ nis & proventibus, nec non juribus, juris-
 „ dictionibus, regalibus & superioritatibus,
 „ tam in ecclesiasticis quam politicis, nullis pe-
 „ nitus exceptis, in plenum dominium &
 „ proprietatem Regum Regniq[ue] Sueciæ trans-
 „ ferunt, Ordinesque & subditos in illa Li-
 „ vonia, ejusque recensitis partibus omni er-
 „ ga Regem & Remp[ub]licam Polonam obe-
 „ dientiæ vinculo & fidelitatis Sacramento ex-
 „ solvunt, nihil unquam in eos, dictamque
 „ Livoniam ejusque pertinentias posthac præ-
 „ tensuri. Cis Dunam autem Serenissimi Reges
 „ Regnumque Sueciæ non ulterius quam hæ-
 „ ctenus fines suæ possessionis in Curlandia

L 2

„ aut



„ aut Semigallia promoveant , aut servi-
 „ tutes a subditis Illustrissimi Curlandiæ Du-
 „ cis exigant , aut ullum jus lignandi
 „ aliudve quodvis in Curlandia aut Semi-
 „ gallia prætendant. Commissarii vero ad
 „ declarandos & determinandos ab utra-
 „ que parte fines ab utrinque deputabuntur
 „ & commissio hæc intra quatuor septimanas
 „ a subscripto tractatu inchoetur & intra duas
 „ expediatur.

„ Quod religionem Catholicam ejusque
 „ exercitium in Livonia Suedicæ possessionis
 „ attinet , omnes incolæ Livoniæ subditique
 „ illi religioni addicti omni securitate gau-
 „ deant , ac conscientia libera , religione
 „ devotioneque sua domi , sine inquisitione
 „ vel animadversione privatim utantur,

„ Tituli Provinciales tam spirituales quam
 „ seculares, Senatorii & Equestris ordinis in
 „ Livonia Suedica penes possessores moder-
 „ nos maneat, durante ipsorum vita, sine
 „ ullis

„ ullis proventibus aliisve prætensionibus. Nec
 „ ullum exinde præjudicium juri Sacrae Regiae
 „ Majestatis Regnique Sueciae in Livoniam
 „ Suëdicam, neque prætensio quæpiam Re-
 „ gno Poloniae, Magno Ducatui Lithuaniae
 „ interea temporis & in futurum inde enasce-
 „ tur.

„ Judicia omnia decretaque ad cujusvis
 „ instantiam, modo non in invitos aut ab-
 „ sentes lata, nec non Contractus & Trans-
 „ actiones in locis, dum illa hoc bello Sue-
 „ cia tenuit, institutæ judicialiter sive extra-
 „ judicialiter, si modo statui publico qui an-
 „ te hoc bellum fuit, & pacificationi præ-
 „ senti non contrariantur, firma maneant,
 „ æque ac si nulla regiminis & Magistratuum
 „ mutatio intervenisset, salvis appellationi-
 „ bus & revisionibus in iis, in quibus hæc
 „ juris remedia hactenus haud fuerunt adhi-
 „ bita, & quæ in rem judicatam non transie-
 „ runt. Sententiæ quoque & decreta, si quæ
 „ L 3 „ Rigæ

„ Rigæ in incolas & subjectos Magni Duca-
 „ tus Lithuaniae, tum & Curlandiae Semi-
 „ galliaeque invitos vel inauditos, & ex adver-
 „ so si similia per Magistratus Magni Duca-
 „ tus Lithuaniae & Curlandiae in Livonia
 „ Suedicae subditos circa tempus belli lata fue-
 „ rint, nullum valorem & robur obtinebunt
 „ in perpetuum.

„ Pars Livoniae eaque Australis, quæ ante hæc
 „ & per hæc bella & temporibus induciarum sub
 „ ditione fuit Regni Poloniae Magnique Du-
 „ catus Lithuaniae, nempe Duneburgum, Ro-
 „ siten, Lützen, Marienhufen, itemque o-
 „ mnia loca, quæ per Commissarios ad id
 „ utrinque deputandos Polonicae possessionis
 „ per tempus induciarum fuisse inveniuntur
 „ cum omnibus suis pertinentiis, territoriis
 „ urbibus, pagis, fructibus & proventibus
 „ teloneisque, juribus, directoque & utili-
 „ dominio remaneant in possessione Serenissi-
 „ morum Regum & Regni Poloniae, Magni
 „ que Ducatus Lithuaniae, nec Serenissimi
 „ Re-

„ Reges Regnumque Sueciæ in istam partem
 „ Livoniæ, ut ab altera diversam, neque in
 „ Ducatum Curlandiæ Semigalliæque & Di-
 „ strictum Piltensem vel respectu Livoniæ se-
 „ prentionalis, vel quovis alio prætextu nul-
 „ lum unquam jus prætendent aut præten-
 „ dere poterunt. Cum vero Magnus Dux
 „ Moschoviæ non modo dictam Livoniam
 „ Polonicam, sed etiam partem Suecicæ oc-
 „ cupatas armis nunc teneat, ideo conven-
 „ tum est, ut si Respublica Polona aliquid
 „ ex Livonia Suecica quocunque tempore a
 „ Moschis, armis, tractatibus aut aliter receperit,
 „ teneatur totum id Sueciæ ultro & gratuito non
 „ imputatis belli expensis restituere. Eodem
 „ modo & vicissim, si regnum Sueciæ aliquid
 „ ex Livonia Polonica quocunque tempore
 „ a Moschis, armis, tractatibus, aut aliter re-
 „ ceperit, teneatur totum id Poloniæ & Ma-
 „ gno Ducatui Lithuaniæ ultro & gratuito,
 „ non imputatis belli expensis restituere.

„ Titulis & insignibus Livoniæ tum Sa-

„ cra



„ cra Regia Majestas Sueciæ ejusque successores
 „ res Reges Sueciæ ratione septentrionalis Li-
 „ voniæ, tum Sacra Regia Majestas Polo-
 „ niæ ejusque successores Reges Polonia, Ma-
 „ gnique Ducatus Lithuania ratione Austræ
 „ lis Livoniæ sub titulo Ducatus promiscue
 „ utentur.

„ Si quam posthac controversiam de limite
 „ bus aut de rebus aliis inter Regnum Sueciæ
 „ eique subjectas provincias, inprimisque Li-
 „ voniam Suecicam ab una, & Regnum Po-
 „ loniæ, Magnum Ducatum Lithuania, Li-
 „ voniam Polonicam Curlandiamque & Sa-
 „ migalliam ab altera parte incidere & sub-
 „ oriri contigerit, ea per Deputatos utrinque
 „ Commissarios ad fines Livoniæ amicabiliter
 „ ratione complanetur. Si quæ vero litigant
 „ minores exortæ fuerint inter subditos & in-
 „ colas utriusque partis, nec transigi de iis
 „ amicabiliter inter litigantes possit, quælibet
 „ pars ad suum competens forum remittatur
 „ & justitia indilate administretur.

„ Sub



„ Subditi hoc ultimo bello fugitivi Ma-
 „ gni Ducatus Lithuaniae, Samogitiae, Cur-
 „ landiae, Livoniae Polonicae, quicunque in
 „ Livonia Suecica reperti fuerint, suis Domi-
 „ nis sine ullo processu juris reddentur una
 „ cum suis mobilibus quae inveniri poterunt,
 „ nec fugitivus sub novo Domino acquisivit.
 „ Quod etiam vice versa observabitur, si qui
 „ subditi fugitivi Livoniae Suedicae in Magno
 „ Ducatu Lithuaniae, Curlandia & Livonia
 „ Polonica reperti fuerint. Si qui etiam ab-
 „ ducti sunt, & adhuc supersunt, reddantur
 „ & illi sine processu judiciario suis quique
 „ Dominis.

„ Quo favorem commerciis & naviga-
 „ tioni S. R. M. Poloniae contestetur, signa
 „ nautica in Domesnes & Luserort extracta
 „ consistere permittit. De ratione vero con-
 „ servationis & manutentionis eorundem
 „ convenietur a Suecis cum fundi Dominis:
 „ Nullo inde jure aut praetensione Regni Sue-
 „ ciae in fundos dictos aut territorium Piltense
 „ enascituro.

M

Quid

Quid recentissimis temporibus in Livonia contigerit, latere neminem potest. Ita que brevissime tantum rem proponemus. Nimirum terræ Livonicæ Regi Sueciæ pacem Olivensem cessæ, anno 1700. bellum impetitæ sunt a Rege Poloniæ eodemque Electore Saxonie Friderico Augusto, cuius partibus se junxit Moschorum Czar Petrus Alexievitz. Equidem expulerat ista provincia hostes suos Carolus XII. Suecorum Rex. Verum, prout varia est belli fortuna, gravis illa, quam Sueci superiore anno ad Poltavam passi sunt, clades, viam rursus aperuit Moschorum Czari occupandi Livoniam Suevicam, quam etiam fere totam adhuc insidet. Exitum belli tempus docebit.

Demonstravimus præcipue hætenus, quantum instituto nostro sufficere poterat, Livoniam, quæ plerumque in tres provincias, quarum mentio facta, Lettiam nimirum, Esthoniæ & Curlandiam dividi solet, Germanorum armis fuisse devictam, per alias autem

natio



nationes deinde occupatam. Restat adhuc ut primo juxta regulas juris publici specialius ostendamus, quod Livonia in numerum membrorum Imperii Germanici fuerit recepta, secundo, ut disquiramus annon Regnum Germanicum jus in istam provinciam amiserit?

Prius quod attinet, constat, quod terræ Livonicae feudum fuerint Imperii. Ita enim in Recessu Imperii Aug. anno 1500. expresse ab Imperatore & Statibus Imperii urgetur, ut investitura petatur de provinciis Livonicis: verba hæc sunt, Weiter ist beschlossen/dieweil der Teutsch Orden/ allein/ von und auff die Teutschen gestiftet/ und dem Römischen Reich zugehörig/ billig sey/ ihn zu handhaben / auch wiederum ziemlich und gleich/das der Hochmeister in Lieffland/mit dem/ das der Orden in Preussen/ und Lieffland habe/ uns und das heilig Reich/ in massen andre Fürsten des Reichs thun erkennen/ und ihre Regalien empfangen: darumb so sollen sie ihre treffentliche Botschafft/ mit vollmächtigem Gewalt/ zu dem



dem verordneten Reichs Regiment gen Niderberg schicken/ ihr Beschwerde und Sachen fürtragen/ auch uns und das Reich mit Empfangung ihrer Regalien erkennen i. e. *Porro decretum est quoniam Ordo Teutonicus tantummodo a Germanis, & pro Germanis fundatus est, ac ad Imperium Romanum pertinet, justum quidem esse ut ab Imperio defendatur, vicissim tamen equitatem postulare, ut Magnus Magister in Livonia, ut & Ordo, terras quas in Borussia & Livonia tenent, a Nobis & sacro Imperio, perinde ac alii Principes, recognoscant, regaliaque sua accipiant: Proinde Legatos suo pleno mandato instructos, ad Regimentum Imperii mittere debent, ut & gravamina desideriaque mittentium exponant, & Nos ac Imperium per collationem investitura recognoscant.*

Non debemus ab allegato hocce textu discedere, quin memores simus dubium alicujus, quod inde formari posset contra illa, quæ superius diximus de liberatione Magistri Livoniae a dominio Magistri Generalis Prussiae, quod nimirum illa demum sit facta

anno



anno 1521. repugnare enim videntur verba hujus Recessus, nam cum jam anno 1500. jubeant Magistrum Livoniæ, terrarum suarum investituram ab Imperatore petere, existimare quis posset, quod jam isto tempore Magister Ordinis Livonici absolutam habuerit in Livoniam potestatem, & nullum alium dominum quam Imperatorem & Imperium agnoverit. Verum arbitramur commode responderi posse, vel hunc esse Recessus istius sensum, debere immediate Ordinem Teutonicum, istas quoque terras quas subjectus ipsi Magister Livoniæ possideret, ab Imperio in feudum recognoscere, vel dicta verba intelligenda esse, de iis provinciis quas Magister Livoniæ ut liberas & immunes ab imperio Magistri Generalis Ordinis Teutonici tenebat, quales fuerunt Harria & Wiria, quarum dominium supremum & liberum a jurisdictione Magistri Teutonici ante Plettenbergium supra jam nobis memoratus Johannes Osthovius impetraverat a Ludovico ab Erlichshausen Ordinis Teutonici Magistro.

De

De cætero si quis argumentari vellet, cum in hoc Reccessu Imperator & Status Imperii Magistro in Livonia titulum Supremi Magistri tribuant, adeoque eodem honore afficiant, quo in isto Reccessu condecorant Magistrum Ordinis Teutonici, quem nimirum Supremum Magistrum in Borussia vocant, quod si, inquam, quis hinc concludere vellet, Imperatorem & Status in ea opinione versatos, quasi Magister Livoniæ absolutum & non dependens a Magistro Ordinis Teutonici in Livoniam haberet imperium, ei non erimus contrarii. Neque tamen sic veritati præjudicium fiet. Licet enim eorum sententiam minime approbemus, qui quavis occasione arrepta Imperatorem & Ordines rerum Imperii imperitos fuisse exclamant, non tamen negandum putamus, hinc inde exempla proferri posse, quod Imperator & Ordines super qualitate hujus vel illius regionis, an vel quomodo ad Imperium pertineret, fluctuaverint ac incerti fuerint.

Quic



Quicquid vero sit, licet ex hoc Recessu probari non posset qualitas feudalis terrarum Livonicarum, per se tamen dubium nullum est, quin Episcopis Livonicis & Magistro Livonico, cum in numerum Statuum Imperii recepti essent, per investituram feudalem jura atq; prae-rogativae isti dignitati adhærentes fuerint collata, quoniam nimirum eodem modo aliis Imperii Principibus Ecclesiasticis conferri solebant & solent.

Quod autem Ordines Livoniæ in Comitibus Imperii jus voti ac suffragii ferendi habuerint, adeoque summæ Majestatis in Imperio Romano Germanico participes fuerint, testatur Recessus Imperii de anno 1530. cui subscripserunt Archiepiscopus Rigensis, Magister Ordinis Livonici, (*der Deutsche Meister in Liefland* uti vocatur,) & Episcopus Curlandiæ. Addantur verba Goldasti in nobilissimo opere de Regno Bohemiæ Lib. 4. cap. 8. §. 6. Magister, *inquit*, Livoniæ, Archiepiscopus Rigensis, Episcopi Curlandiæ, Oseliensis, Revaliensis &



& Tarpatinus patrum memoria, antequam a Polonis avellerentur, jus sessuræ ac suffragii in Comitibus habuere, veluti Receptuum indicant subscriptiones.

Deliberatum quoque fuit in Comitibus Imperii Trevirensibus habitis anno 1512. de Livonia in Circulum inferenda. Ita enim modo laudatus Goldastus in eodem de Regno Bohemiæ opere lib. 2. cap. 16. refert, tractatum fuisse de duobus novis Circulis, Bohemico & Borussico constituendis, restitisse autem tam Bohemos, quam Borussos ac Livones. Non autem obstat nobis, quod Livones refragatos esse hisce consultationibus scribat Goldastus, quemadmodum enim non minus contradixerunt Bohemi, cum tamen Bohemia isto etiam tempore membrum Imperii fuerit, ita Livonia quoque membrum Imperii esse potuit, licet in Circulum compingi non let. Neque ignorare possunt illi qui publico operam dant, plus simplici vice accidisse in Imperio Germanico, ut unum

vel alterum Imperii membrum, si quando de collectis imponendis ageretur, prætexeret, se vel non comparere in Comitibus, vel perperam relatum esse in matriculam, (vel aliud quid simile) adeoque contributionibus onerari non posse. Id quod tamen juribus Imperii officere non potuit.

Patet porro Livoniam subjectam fuisse Imperio Rom. quia & Ordines Livoniæ & subditi in jus vocari potuerunt ad Tribunalia Imperii. Celebre est exemplum quod contigit anno 1330. inter Valterum Plettenbergium Magistrum Ordinis Livonici, & Thomam Schöningium Archiepiscopum Rigensem. Controversia hæc erat: Cum Plettenbergius anno 1325. civitati Rigensi, quæ Augustanæ Confessionis sociis se adjunxerat, liberum Religionis exercitium, quod permittere nolebat Rigensium Archiepiscopus Johannes Blankenfeld, concessisset, Rigensesque ideo Magistro Ordinis soli homagium præstitissent, quod antea Archiepiscopo quoque ex æquo

N

præ-



præstari solitum erat, Archiepiscopus gravissima ira percitus, multa in perniciem Livoniae machinari, præcipueque Moschum ad invadendam subjugandamque Livoniam instigare coepit, quod cum Magister Livoniae ac reliqui Provinciæ Ordines animadverterent, in Comitibus Wolmariensibus Archiepiscopum adegerunt ut se cum omnibus suis suffraganeis Episcopis, Collegiisque, juribus ac sessione, Magistro Ordinis ejusque successoribus subjiceret. Paulò post Archiepiscopus ex Livonia discedens iter instituit ad Carolum V. petiturus restitutionem in integrum contra conventionem in Conventu Wolmariensi initam, sed non longè progressus, in morbum incidit, qui etiam vitæ finem ipsi attulit. Dederat consilium ante mortem Canonicis, ut Principem Imperii ac quidem Georgium Ducem Brunsvicensem & Luneburgensem eligerent, qui nimis autoritate sua pristina Archiepiscopi jura recuperare posset. Res in effectum deducta & Georgius Brunsvic. Archiepiscopus postularus

Wal.



Walterus autem a Plettenberg qui ægre ferebat, quod peregrinus Princeps Livoniæ Archiepiscopus factus esset, persuasit Canonicis ut alium ex corpore suo eligerent, promittens, se coacturum Rigeneses, ut in integrum Canonicos, quibus tempore Johannis a Blanckenfeld domus, molendina, agri & fundi erant adempti, restituerent. Canonici promisso illecti eligunt Thomam Schonin-
gium, Consulis Rigenfis filium. Hic postquam in Germaniam profectus cum Georgio Brunswic. transegisset, atque cessionem Archiepiscopalis dignitatis impetrasset, apud Magistrum Ordinis promissam restitutionem urgere coepit. Quam cum ille facere recusaret, Archiepiscopus Magistrum ad Cameram Imperialem citavit, ibique mandata de restituendo in pristinum statum impetravit. Mandatis his Imperialibus ut & aliis adhuc causis moti Ordines Livoniæ intercesserunt apud Plettenbergium, ut juramentum novum Archiepiscopo Blanckenfeldio extortum remitteret.



teret. Magister Ordinis tranquillitatis publica
amans consensit, & Archiepiscopo in Comitiis
jura & privilegia antiqua, civitatisque
Rigensis jurisdictionem restituit. Rigenses
quoque bona ecclesiastica omnia reddiderunt.
Conferantur cum hoc exemplo ea, quæ supra de
lite coram Carolo IV. agitata, ut & de Johanne
a Sinten Archiepiscopo quoque Rigensi dicta sunt.

Videatur etiam Gylmannus in præjudiciis
Camerae Imperialis pag. 31. ubi in puncto ap-
pellationis a Livonia ad Cameram Imperia-
lem refert in causa Schmilach contra Nassau
tale decretum factum, Wolte Nassau seinem
Erbierten nach beweisen und darthun/ daß keine
auß Lieffland an das Keyserliche Kammer-Ge-
richt appelliren mag / er habe dann zuvor an
einem gemeinen Landtag vor allen Herren und
Potentaten des Liefflands appellirt/daß solches
gehört/ und er thue solches oder nicht/ soll in
principio devolutionis erkandt werden was recht
ist. Fridericus Menius ex Mynsingeri observa-
tionibus earumque cent. 4. obser. 54. itidem exem-
plum profert de duobus nobilibus Livonicis,

Rein-



Reinholdo a Rosen, & Reinholdo a Vietingshoff anno 1524. in Camera litigantibus. Sic eodem referente, Esthonia privilegium habuit de non appellando ad Cameram Imperialem.

Crimen quoque læsæ Majestatis committere potuerunt Livones erga Imperatorem & Imperium, id quod ipsi agnoverunt, dum in deditione Polonis facta tantopere solliciti fuerunt, ut quavis ratione operam daret Sigismundus Augustus, ne ullam Imperii proscriptionem incurrerent. Ita Carolus Quintus Rigenfibus, cum exercitum religionis Romano-Catholicæ abolere tentarent, minatus est proscriptionem. Videatur ea dere Chytræus Chron. Saxon. lib. 10. ut & Thuanus Historiar. lib. 21. qui addit Rigenfes, cum scirent Cæsarem aliis bellis implicitum esse, vulgo dixisse, priusquam Cæsar in Livoniam advenisset, equitatum ejus lassum ac fatigatum fore, ac si magno cum exercitu veniret, eum fame & inedia consumptum iri, si cum exiguis viribus, facile vinci posse. Kelchius dieterium hoc refert ad istud tempus quo

N 2 Dux



Dux Georgius Brunsvicensis Archiepiscopus Rigenfis a Canonicis electus fuit. Ait, Carolum Quintum minitatum esse Civitati Rigenfi se igne ferroque eam devastaturum, fi huius electioni resisteret, Cives autem Rigenfes indignatione Cæfaris parum perculfos talia verba usurpasse.

Constitutiones Imperii Romani in Livonia valuisse tam ex prolatis jam rationibus colligi, quam inde etiam constare potest, quod anno 1532. Rigenfes, cum Archiepiscopus Thomas Schönningius jurisdictionem Ecclesiasticam quoque in civitatem prætenderet, provocaverint ad pacem in Imperio Romano, religionis nomine, Norinbergæ factam, qua cautum esset, ne quis alterius religionem molestiam exhiberet, sed singulis in præfenti statu tranquille, et que ad Concilium generale vel Conventum Imperii proximum manere liceret. Ita Constitutio quoque pacis publicæ sive profanæ qua sancitum est ne unus alterum hostilius invadat, aut hostes alterius quovis modo adje-

adjuvet, in Livonia vim habuit. Exempli loco esse possunt ea quæ commemorat Chytræus ad annum Christi 1559. Nimirum bello adversus Livoniam moto, & Narva a Moschis capta, sedem emporii Russici quæ Revaliæ antea erat, Narvæ collocaverant Lubecenses & reliqui Hansæ socii. Verum Livoniæ procures, Ordinis Magister & Archiepiscopus Rigensis, ac civitates Riga & Revalia gravissime apud Imperatorem Ferdinandum I. de Lubecensibus fuerunt questi, quod importatione omnis generis mercium, com meatuum, armorum & munitionum bellicarum Moschos hostes adversus se totamque Livoniam, Romani Imperii provinciam alerent ac confirmarent. Idcirco etiam Imperator per mandata, non armorum modo, sed etiam com meatuum invectionem in Moscoviam prohibuit.

Progredimur jam ad alteram quæstionem an nimirum Imperio Romano Germanico adhuc hodie jus in Livoniam salvum sit. Diversæ



versæ hic occurrunt opiniones quas primo
referemus, subjuncturi deinde quaecunque
judicium nostrum. Plerique equidem Juris
publici Doctorum existimant extinctum esse
Germaniæ jus in Livoniam: cum autem
in ista sententia tanquam Ducem se-
quantur Illustrem Conringium, opus erit ut
ipsissima ejus verba adducantur; sunt autem
ista: Neutri deditio*(loquitur de subjectione Ma-*
gistri reliquorumque Livoniæ Ordinum qui Po-
lonis, & Revaliensium qui Suecis se submiserant)
ut nec Danicæ *(intelligit cessionem illam qua*
Friderico Regi Daniae ab Osiliensi & Curo-
niensi Episcopo de terris Episcopatum facta
erat, quas Rex deinde Magno Holsato tradi-
dit, quam rem supra tetigimus) lego
Cæsare aut Imperii Ordinibus intercessum.
Attamen cum anno septuagesimo pax inter
Daniæ & Sueciæ Reges, post octo annorum
bellum, Stetini conficeretur, & Magnus
Holsatus a Moscho Livoniæ Rex esset renun-
ciatus, qui transactioni pacis aderant, Cæsa-

riam



riani Legati, Livoniam ab Imperio avelli, &
 a Magno Holsatiæ Duce Regis Daniæ fratre,
 titulum Regis Livoniæ, in præjudicium &
 contumeliam Romani Imperii a Moscho ac-
 ceptum usurpari, ægerrime ferebant. Inter
 capita pacis hoc ante omnia tum constitutum
 „ fuit: Cæsareæ Majestati & Imperio, Suecus,
 „ quæ in Livonia possedit, velut supremo Ma-
 „ gistratui & Domino cedit. De quibus Dioce-
 „ cesin Revaliensem & Oesiliensem, Padis, Son-
 „ neburgam & Habsel, Daniæ Regis tutelæ
 „ Imperator statim subjiciet. Urbs vero Reva-
 „ lia & Wittensteinum tantisper in Sueci po-
 „ testate manebunt, donec Cæsarea Majestas
 „ cum eo Imperii nomine, de belli sumptibus
 „ in defensionem Revaliæ impensis, transegerit.
 „ Quade causa, Rex Daniæ, Moschum & fra-
 „ trem suum, se ab obsidione Urbis Revaliæ
 „ tandiu avocaturum sperat, dum Imperii to-
 „ tius nomine, Cæsarea Majestas & Principes
 „ Electores deputato die, consilio & ope Re-
 „ giæ Majestatis Daniæ, Poloniæ & Sueciæ,
 O „ de

„ de splendida legatione ad Moschum inter se
 „ conveniant, ut vel pacem cum Moschis con-
 „ stituant, vel acri bello conjunctis viribus
 „ eum reprimant. Ita quidem transactum fuit
 initio anni. Sequentis vero anni Junio mense
 caput illud primum pacis de urbe Revalia &
 Diœcesi vicina Cæsari & Imperio a Suecia
 Rege concessa, Maximilianus Imperator per
 Jonam Offenburgerum Revaliam missum Se-
 natui Revaliensi exposuit. Qui nihil adhuc
 sibi de cessione illa Regis sui nomine signifi-
 catum esse indicavit. Velle autem se man-
 data ipsius Regiæ Majestatis Suecicæ prima
 occasione nunciare, & paulo post Cæsareæ
 Majestati reverenter respondere.

Ex eo tempore motam aliquam ex pacto
 Suecis controversiam Imperii nomine, haud
 invenio. Duravit vero in Livonia omni Mo-
 schorum sævitia deinceps annos complures.
 Nec acquieverunt Moschi, donec multis præ-
 liis feliciter a Joanne Sueciæ Rege devicti
 Esthonia omni, quam pene suam fecerant,
 cedere

cedere & pacem tandem duris conditionibus petere coacti sunt : quæ demum anni nonagesimi quarti initio fuit constituta. Cum Polonis quoque haud lego Imperii nomine occupatæ Livonia ergo disputatum vel actum esse. Gesserunt vero & ipsi acerrimum cum Moschis bellum usq; in annum octogesimum primum, quo exeunte demum pax composita, & Livonia cedere Moschi compulsi sunt. Haud invenio etiam cum Dano expostulatum, occupatæ Oesiliæ causa, a Cæsare & Imperii Ordinibus, etsi ille post obitum Magni Ducis sui illam juris fecisset. Ex adverso Esthoniæ sibi dedi postulantibus Polonis, electus tum Polonorum Rex Sigismundus III. qui & Sueciæ simul imperabat, anno octogesimo septimo respondit, teste Chytræo lib. 28. Suecos, Caroli V. Ferdinandi & Maximiliani II. Imperatorum literis ad Gustavum, Ericum, & Joannem Reges diversis temporibus scriptis, tutelam ejus provinciæ ab Imperio ipsis commendatam, demonstraturos esse.

Atque ita quidem & Livonia nobis periit.

O 2

Qui-



Quicumque vero omnia isthæc cum cura ex-
penderit, nisi vehementer fallor, culpa ali-
qua imperii hæc ita contigisse non diffitebitur.
Primum enim in officio utique fuit Imperii,
Moscho non verba sed arma opponere, iisque
salutem civium enixe opem implorantium
saltim pro virili defendere, & tamen omne
hoc fuit surdis auribus exceptum. Imo ne-
quidem aliqua missa legatione Moschum mi-
tigare tentatum est. Quod ipsum apud om-
nes prudentes & probos solet haberi indicium
certum derelictionis, prout capite nono de-
cimo multis disputavimus. Secundo, facta
jam illa Livonum ab Imperio defectione,
nec a Polono, nec a Dano quicquam Impe-
rii nomine fuit repetitum, pene jam integros
centum annos. Quæ cum Sueco erant pacta
itidem nulla facta vindicatione aut etiam re-
petitione, spacio nonaginta pene annorum ir-
rita itidem sunt facta: omni republica cele-
rem, certe præsentem magis, curam exigente.
Ut proinde etiam hoc alterum signum fuerit
facta

factæ derelictionis. Tertio : quo tempore facta est illa ab Imperio secessio , ne verbulo quidem fuit contradicendum , tametsi minime omnium lateret quid fieret : adeoque non obscure fuit indicatum , illam secessionem nihil iniqui habere , ab Imperio nullis auxiliis suppetentibus. Postremo : ita comparatum est , ut absque summo Livonum incommodo recuperari pristina Imperii auctoritas nequeat , & tamen Imperio non fuere illi subditi quondam ad utilitatem dominantium , sed suam. Fuerit igitur & recuperandi conatus cum aliqua injuria conjunctus. Quæ cum ita sese habeant , jam & Livonia jure Imperii finibus excidit. *Hactenus Conringius in Tract. de Finib. Imper. lib. 2. c. 29.*

Ut mens Conringii & ratio præcipue quam ultimo loco allegavit , eo clarior evadat , notandum quod in eodem tractatu de finibus Imperii lib. 2. cap. 19. distinguat inter Respublicas , in quibus nonnisi per accidens populi commodum quæritur , per se vero & potissimum , imperantium sive unius sive pau-



corum five plurium utilitas intenditur, & istas civitates in quibus subditorum præcipue commodum spectatur. Quod hoc posterius societatum genus attinet, ait, imperium talium civitatum quæ salutis publicæ omnium causa coierunt, quando amissum fuerit, recuperari non posse, si id fieri nequeat absque civitatum illarum summo detrimento, adeoque teneri quemvis illorum recuperandorum curam dimittere, imo existimandum esse illam dimissam esse. Alioquin enim fore ut dominantis commodum præferretur usui populi, quod tamen esset contra naturam illarum civitatum. At non licere ita colligere, factam derelictionem in civitatibus herilibus, (*ita enim prioris generis civitates appellat, Grotius vocat patrimoniales.*) In iis enim etiam cum incommodo subditorum licere dominantium jura tueri, & amissa cum eorum noxa recuperare.

Pergimus jam ad eos qui existimant Livoniam adhuc ad Imperium Romanum pertinere. Est ex illis præcipue nominandus

Lim.



Limnæus qui lib. 1. Jur. publ. c. 9. id affirmat, primo propter decretum, non diu, uti ait, antequam hæc scriberet, in causa Schmilach contra Nassau factum, quod pag. 100. ex Gylmanno lingua germanica retulimus, quodque, ut itidem ab omnibus intelligi possit hic latine quoq; translatum exhibemus: *Si Nassau, prouti obtulit, docere velit, non licere ulli Livonum appellare ad Cameram Imperialem, nisi antea in Comitibus Livonie universalibus coram omnibus Livonie Dominis & Proceribus appellaverit, audietur, & sive id faciat, sive non, in puncto devolutionis jus dicetur.* Deinde hanc allegat causam, quod Rigam, suam & Imperii civitatem novissime appellaverit Maximilianus II. in Recesu Imperii de anno 1567. *S. Haben wir.* Porro minas Caroli V. de proscriptione fundamenti loco affert. In eandem opinionem inclinat Franciscus Irenicus in *Collegio juris publici*, part. 3. p. 85. Præter rationes a Limnæo prolatas, dicit, seculo decimo sexto & decimo septimo occupationi Livonicæ nunquam non reclamatum fuisse: proponit deinde consilium

lium



filium pro Imperio, qua ratione jus suum recuperare posset.

Ne privatorum tantum autoritate haesententia stabiliatur, en rationes, quas Johannes III. Sueciae Rex anno 1585. cum de componendis inter ipsum & Poloniae Regem diffidiis esset agendum, Legatorum suorum instructioni, *uti vocant*, inseri curavit.

„ Si mentionem de suo jure in Livoniam fecerint Legati Polonici: respondunt illis Legati nostri: se mirari, quopeto, quibusve rationibus in eam provinciam sibi jus esse praetendant Poloni cuius directum Dominium nunquam habuerunt, quæque tota & integra neque huic Regi, neque ejus antecessoribus unquam parva. Atque si allegaverint cessionem sibi factam a Magistro Ordinis Livonici, nunc Duce Curlandiae, reponent illis Legati nostri: Non licere vasallo sine consensu Domini superioris, feudum quocunque modo abalienare. Romani autem Imperii consensum cum non habue-

„habuerit Ordinis tunc temporis Magister, imo,
 „nec eorum omnium quorum intererat, ipsi-
 „que subditorum : nosque in contrarium lite-
 „ris planum facere possimus, a Carolo V. Im-
 „peratore Ordini Livonico speciatim manda-
 „tum esse, ut a Serenissimo quondam Rege
 „Gustavo Domino Patre nostro carissimo in-
 „clutæ & laudabilis memoriæ auxilium pete-
 „rent : simulque literas habeamus a Ferdinan-
 „do Imperatore, etiam ad dictum Serenissi-
 „mum Patrem nostrum, atque etiam ad fra-
 „trem nostrum Ericum quondam Regem, item-
 „que Maximiliani Imperatoris ad Nos, in qui-
 „bus Livoniam, ut ab Imperio Romano ni-
 „mis distantem provinciam, Ipsis Nobisque
 „diligentissime commendant, orantque, ne
 „eam a Moscho diripi atque opprimi patia-
 „mur. Poloni vero nihil contra hæc pro se
 „afferre possint, quod re vera aliquam veri juris
 „speciem habeat : demonstrabunt illis Le-
 „gati nostri, neque potuisse, neque licuisse
 „Magistro Ordinis, quod suum non erat, in

P

alios



„ alios conferre, ipsosque Polonos injuste &
 „ contra omne fas agere, qui non solum eju
 „ provinciæ jus sibi arrogent, quod non ha
 „ beant, sed etiam obliti tot beneficiorum no
 „ strorum, publico consensu, Regis sui nomi
 „ ne, binas legationes ad nos miserint, ea
 „ cum diminutione existimationis, tituli, &
 „ Majestatis nostræ, petitem, quæ neque ip
 „ neque majores eorum unquam possederunt
 „ In qua quidem postulatione, quam impuden
 „ tibus & absurdis argumentis usus sit Warsavi
 „ cius Legatus, dum se belle admodum pero
 „ rare putat, vel ex eo patet: Quod cum ho
 „ stem Moschum cessisse suo Regi quicquid in
 „ Livonia possidebat, affirmet, existimet
 „ multo magis a Nobis, ut ab amico & affini
 „ fieri debere. Egregiam vero amicitiam, qua
 „ ab hostilitate nulla in re differt, quasi vero
 „ eandem poenam viri boni & innocentes
 „ subire debeant, qua malefici homines pler
 „ sunt. Debere Polonos potius cogitare, nisi
 „ nos Livoniæ protectionem mature suscepisse
 „ mus.



mus, de ea litigaturos nobiscum jam non
fuisse. Imo tota illa provincia a Moscho occu-
pata, de Lithuania etiam periclitaturos fuisse.
*Vid. Claud. Arrhenius Oernhielm Historiogra-
phus Suecicus in vita Ponti de la Gardie.*

Quod si jam nobis quoque, quid sentia-
mus, exponere liceat, tum vero arbitramur,
ostendi posse nullum amplius Germaniæ in
Livoniam jus competere, & quidem duplici
ex ratione: ex capite nimirum necessitatis, quæ
adegit Livones, ut se ab Imperio Romano
separarent, ut & ex capite præscriptionis; cu-
jus præcipuum fundamentum, si inspiciamus
jus naturæ, ex quo ut & jure Gentium deci-
dendæ sunt Principum controversiæ, ponitur
in præsumpta derelictione domini prioris.
Existimamus autem optime nos facturos, si
rem secundum fundamenta, quæ in talibus
causis observanda esse monet Avus Noster b.
m. examinemus. Dicit ille in *Notitiæ Imperii
Libro 2. cap. 2.* in quæstione de derelictione, an
qui auxilia non tulit, dereliquerit, multa

P 2 con-



consideranda , e. g. an revera noluerit ferre
auxilium , qui suos defendere debebat , item
an potuerit ferre , item an expectatum sit
tempus necessitatis ad transigendum , ab iis
qui se desertos queruntur , item an non po-
tuerit transigi salvis Imperii juribus. Deinde
perpendendum esse , an contradictio non sta-
tim facta , ex aliquibus causis & impedimen-
tis , post aliquot autem annos interposita ,
sufficiat ad conservationem juris , item an res
inter alios acta extra conspectum & notitiam
Imperii , Imperio nocere possit & similia. Item
an jure Gentium aut moribus aliquid certi de
hoc capite constitutum reperiatur , cum exem-
pla sint in utramque partem fere paribus mo-
mentis.

Applicabimus jam singula , quamvis non
sub eodem ordine , ad controversiam nostram.
Ante omnia autem notandum , extremam
necessitatem membro alicujus Imperii jus
dare , ut se subducatur imperanti suo , si saluum
aliter esse non possit. Videatur Grotius in
incom-

incomparabili opere de Jur. Bell. & Pac. l. 2. cap. VI. §. 5. cujus hæc sunt verba. *Parti jus non est a corpore recedere, nisi evidenter se aliter servare non possit, nam in omnibus iis quæ humani sunt instituti excepta videtur necessitas summa, quæ rem reducit ad merum jus natura.* Augustinus de Civit. Dei, lib. 18. *In omnibus fere gentibus quodammodo vox natura ista personuit, ut subjugari victoribus mallent, quam bellica omnifaria vastatione deleri.*

Deduci quoque hoc jus necessitatis in regnis non patrimonialibus potest ex voluntate eorum, qui se primum in societatem civilem consociant. Hi enim si interrogarentur, an imminente exitio quod Imperans non, alius autem, si se ipsi subjicerent, posset avertere, velint omnibus hoc onus imponere, ut perire præoptent, quam se potestati imperantium subducere, non credo quod velle se sint responsuri. Conferatur ὁ παῖς Obrechtus in eruditissima Dissertatione de ratione belli

belli, in cuius §. 8. cum allegasset dictum Seneca
qui ait: *Neceſſitatem magnum humana imbeci-*
litate patrociniū eſſe, quia quicquid coegit, de-
fendat, pergit ita ratiocinari. Neceſſitati autem
quicquid tribuitur, ſive juris ſive favoris aut ve-
nie, unice inde promanat, quod non poſſit non ho-
mo omni ſtudio ad ſe conſervandum commi-
omnem eſſe honeſtam rationem expedienda ſa-
lutis, defini-vit generaliter Cicero, & alius, Lex una
& perpetua, ſalutem omni ratione defendere.

Si autem jam porro dicamus, Livones
extrema demum neceſſitate urgente diſceſſiſſe
ab Imperio Romano, & niſi hoc feciſſent,
pereundum ipsis fuiſſe, habebimus conſen-
tientes omnes Hiſtoricos, qui unanimi ore
id teſtantur. Nimis longum fuiſſet, ſi teter-
rimam belli illius, quod Livoniae a Moſchiſ
illatum eſt, faciem depingere voluiſſemus:
ſufficiat dixiſſe, nullum excogitari poſſe mi-
ſeriarum genus, quod iſto tempore Livones
non fuerint perpeſſi.

Sed forte Livones tranſigere cum protecto-
ribus

ribus suis, salvo Imper. Rom. Germ. jure potuissent? extra culpam utique sic non fuissent positi. Verum, uti jam a nobis relatum fuit, reservaverant Ordines Livoniæ jura Imperii Rom. in pactis cum Rege Poloniæ anno 1559. initis. Quod autem postea rursus auxilium idem Rex aliter ferre noluerit quam si se plane totos ipsi dederent, Livonibus imputari non potest. Quin imo in ipsa deditione obligaverunt Sigismundum Augustum, ut promitteret, se omnem curam ac diligentiam ad placandos Cæsarem & Imperii Status adhibiturum.

Cum itaque ex addictis rationibus clarum sit Livones habuisse jus alios quærendi dominos, apparet insimul, extinctum fuisse jus Imperii Romani in Livoniam.

Ex his ipsis fundamentis responderi quoque potest ad ea, quæ ut Polonis objicerentur, Johannem Sueciæ Regem mandasse, ex Oernhielmio annotavimus.

Ponamus jam, non eam adfuisse necessitatem, quæ Livonibus jus tribuere potuisset sub-

sub-



subtrahendi se Imperio Germanico, credere-
mus nihilominus, jus hujus expirasse, quo-
niam probari posset, abjecisse animum confer-
vandi juris in Livoniam, adeoque eam dere-
lictui habuisse.

Est autem rursus præmittenda verissi-
ma Grotii sententia quam profert lib. 2.
cap. 4. quod regna quoque acquiri possunt
sint per usucapionem sive præscriptionem,
id quod fit, sicut innuere cœpimus, propter
derelictionem, non expressam, hæc enim hæc
non pertinet, nec de ea etiam ullum dubium
est, sed tacitam, quando scilicet ex validis
rationibus præsumi potest, alterum dereliquisse.
Nam si quis per longum tempus, in-
tra quod si nihil aliud agere, protestationem
saltem vel aliam verbalem declarationem in-
terponere potuisset, nullam tamen de jure sue
conservando significationem ediderit, ex na-
turali utique præsumptione concludi potest
quod rem istam nolit amplius habere in nu-
mero rerum suarum. *Non enim, ut iterum*

Grotii



Grotii verba adducamus, patitur natura humana societatis, ut actibus animi sufficienter indicatis nulla sit efficacia, ideo quod sufficienter indicatum est, pro vero habetur adversus eum qui indicavit. Et certe ut regnum, quod quis sciente ac tacente priore domino per diuturnum tempus possedit, possessoris maneat, vel ideo justum erit, quia considerato bono publico & tranquillitate generis humani, regulæ istæ alias in jure civili allegari in materia præscriptionis solitæ, ne dominia in incerto maneant, & ut finis litibus imponatur, habent secum æquitatem naturalem, uti bene videtur sentire Avus Noster in *Excerptis ex Actis Senatus ex Parnasso*, cum quo concordat Grotius.

Ex Jure quoque Gentium voluntario sive eo, quod distinguitur a jure naturæ, inductam hanc legem, ut longi temporis possessio dominium transferat, arbitratur idem Grotius in §. 9. dicti capitis. Ac potest utique infinitis exemplis ostendi, gentes in ipsis super regnis contro-

Q

versis



versis usucapione tanquam præcipuo funda-
 mento innis. Objici equidem potest, da-
 exempla in contrarium, quod nimirum gentes
 noluerint hunc titulum agnoscere pro valido.
 Verumenimvero, sicut in particulari aliqua
 societate civili, sive Republica, ideo non
 tollitur lex, si unus vel alter refragetur,
 ita quoque dici nequit, hoc vel illud, quod
 reliquarum gentium consensu approbatum est,
 non esse juris gentium, si una vel altera gens
 id nolit admittere. Præterea caute etiam Gro-
 tius jus gentium secundarium definivit, *quod gentium omnium aut nullarum
 voluntate vim obligandi accepit*, addiditque, *va-*
lulum jus reperiri extra jus naturale, quod ip-
 sum quoque gentium dici soleat, omnibus gen-
 tibus commune. Probat autem inde Grotius
 usucapionem regnorum, tanquam modum ac-
 quirendi domini, de jure gentium valo-
 re, quia credibile sit in id consensisse gen-
 tes, quod ad pacem communem quam ma-
 xime interesset. Sed sic quidem ratio Grotii



in se bona erit; omne nimirum illud inter gentes observari debere, quod ad communem ipsarum tranquillitatem pertinet, adeoque usufruptionem quoque, qua, prouti indicatum, extinguuntur controversiæ de regnis regnorumque finibus, quæ alias forent immortales. De cætero tamen, cum ipsum jus naturæ injungat gentibus ut pacem quovis modo conservent, perperam videtur id quod ex hac regula concluditur, ad jus mera gentium voluntate introductum referri. Sane Avus Noster recte ad allegatum ex Grotio caput monuit, vitandos esse abusos, qui in ista loquendi consuetudine, qua aliquid & juris naturæ & juris gentium voluntarii dicitur, committi possunt. Id enim quod juris naturæ sit, non posse dici etiam juris gentium, nisi jus gentium aliquid addat, quod ex jure naturæ deduci non possit, e.g. possessionem longi temporis in respectu ad acquirendum dominium nisi dictaminibus æquitatis naturalis, de re derelicta, de voluntate idoneis signis declarata, de

Q 2 focie-



societate non perturbanda, esse autem jura
gentium ratione definiti certo modo temporis
sive quid aliud accesserit, in definienda ratione
possessionis perpetuæ, quod a voluntate gen-
tium pendere intelligeretur. Observat itaque
idem Commentator, Grotium, cum de jure
gentium pronunciaret, non frustra, tam
signate posuisse, *possessionem quæ memoriam
excedit, non interruptam, nec provocatione
ad arbitrum interpellatam, lege gentium
ad transferendum dominium idoneam.* Quia
etiam, cum juxta doctrinam Grotianam, ex
ipso quoque jure naturæ, propter tempus
memoriam excedens, quoniam infinitum est
moraliter, derelictio præsumi possit, reliqua
insuper a Grotio adducta usucapionis requi-
sita ex eodem jure derivari queant, non dif-
plicet nobis sententia Werlhoffii viri summe
eruditi qui in *Vindiciis Grotiani dogmatis de
Præscriptione inter Gentes*, hanc suppeditat
Grotium defendendi rationem, quod, cum
plura quæ ex Jure Naturæ aliquatenus or-
tum

tum habent, ex humana voluntate & lege accipiant firmitatem quandam, sive aduersus conjecturæ incerta, sive aduersus exceptiones quasdam, quas alioqui ratio naturalis videtur suggerere, hæc talia non incommode ad jus quoque gentium referri possint. Fuisse etiam forte hanc Grotii mentem, innuit jam ante Werlhoffium Boeclerus, dum dicit, Grotium præscriptionem ad jus gentium voluntarium ita referre, ut ob præsumptionem æquitatis naturalis, ex jure naturæ reuera surgat, & ad id referatur; aperta autem & legis auctoritatem habente formula, juri gentium tribui intelligatur.

Consideremus nunc, an Imperium Germanicum dici posset dereliquisse Livoniam. Hic primo autumamus non esse simpliciter asserendum, quemadmodum id facere videtur Conringius, quasi Imperium Romanum jus suum etiam ideo dereliquisse dici queat, quia non contradixit statim eo tempore, quo Livonia secessionem fecit. Quam-

Q 3

vis



vis enim Legibus civilibus privati obstringi possint, ut si jus suum conservare velint, in continenti contra actum ipsis perniciosum protestationem interponant, ista tamen jura, quemadmodum lippis & tonsoribus notum, Principes & gentes non obligant. Ex jure autem naturæ si res decidenda, possunt utique gravissima circumstantiæ supervenire, ob quas jus suum quis ad tempus dissimulare cogatur. Effectum proinde habebit contradictio etiam post aliquot annos facta, utpote cum talis dici non possit abjecisse animum retinendi juris sui. Requiritur enim ut silentium per quod jus alicujus amittitur, sit silentium, uti scientis, ita libere volentis. Adstipulatur celeberrimus Strauchius, qui tradit, rationem Status exigere posse, ut quis sciens dissimulet jacturam, ne majus malum sibi accumulet, & interim animum recuperandi nihilominus retineat. Evolve, si lubet, *Institutionum Juris publici*, quas conscribere coepit, lib. 1. tit. 20. Quo in eodem loco; jure quoque Con-

rin.



ringium ideo taxat, quod docuerit, Imperium
Civitatum melioris ordinis, *quemadmodum*
Conringius eas appellare amat, quæ salutis
publicæ omnium causæ, & non tantum in uti-
litate dominantium, coierunt, quando amif-
sum fuerit, recuperari non posse, si id fieri ne-
queat absque civitatum illarum summo detri-
mento. Sane enim Conringii sententia ita
generliter admiti non potest.

De cætero quod eo tempore quo Livo-
nes bello Moscovico infestari cœperunt, no-
luerit Imperium Romanum se jure suo ab-
dicare, inde patet quod cum Gothardus Kett-
lerus adhuc Ordinis Magister per Legatum
auxilium petiisset a Ferdinando & Statibus
Imperii Augustæ congregatis, promissa ipsi
fuerit summa centum millium florenorum.
Spretam quidem a Legato hanc summam tan-
quam nimis exiguam nonnulli referunt, sed
addunt eum propterea graviter a Magistro
Ordinis objurgatum. Et sunt etiam qui
tradunt, Legato, cum subsidia efflagitaret,
fuisse



fuisse responsum, jam ante undecim annos Imperium solutionem collectarum Imperialium remisisse Livoniæ, usque dum in meliorem statum perveniret, sperasse itaque Imperatorem & Ordines fore, ut Proceres Livoniæ talem sibi compararent potentiam, ne aliorum auxilio ipsis opus esset. Quod si itaque Livones non satis instructi fuerunt ad se defendendos, penes ipsos, non penes Imperium culpa fuit. Cui eo minus, habita istorum temporum ratione, negligentia vel defectus voluntatis, adeoque nec derelictio imputari debet, quoniam, etiamsi maxime voluisset, non potuisset tamen laboranti Livoniæ suppetias ferre: impendendæ enim tunc erant Imperii vires contra Turcam. Inspiciantur, præter Historicos, Recessus Imperii de annis 1557. 1559. 1566. 1576. & alii sequentium annorum. Legantur quoque apud Goldastum in *Politischen Reichs-Händlen* / part. 15. n. 5. & 6. horribiles literæ per quas annis 1564. & 1579. Romanorum Imperatoribus bellum denun-



nunciavere Turcarum Imperatores. Potest itaque ex modo allegata ratione liberari Imperium a reprehensione Conringii, qui dicit obligatum illud fuisse ut Moscho arma opponeret.

Fuisse adhuc curæ cordique Imperio Livoniam anno 1576. docemur ex Recessu dicti anni Ratisbonæ habito. Decretum enim ibi fuit: amplissimam Legationem cujus caput Imperii Princeps esset, de liberanda Livonia ad Moschum mittendam esse. Usque ad ista ergo tempora, si ex solis principiis de derelictione ratiocinandum fuisset, salvum in portu navigasset Jus Germaniæ. Nam si ad nostram usque ætatem res perducenda ac examinanda est, tunc utique existimamus, quod quamvis aliquandiu declaraverit animum retinendi juris sui Imperium Roman. tamen deinde eum abjecerit. Hodie enim præcipue dicere possumus, quod per immemorabile tempus nullam amplius significationem ediderit Germania, vel contra Suecos, (quibus defensio Livo-

R niæ



niæ ab Imperatoribus olim fuerat commissa in bello Moscovico, vel contra Polonos, quod vellet aliquid ab iis repetere, vel Livoniam provinciam Imperii manere. Unde enim Franc. Igericus quem citavimus, probare possit, quod seculo decimo septimo nunquam non fuerit reclamatum occupationi Livonicæ, nobis equidem non liquet. Sane in pacificatione Olivenfi, in qua tamen ipsum Imperii caput Imperator Leopoldus, inter paciscentes erat, id non fuit factum. In divisione enim Livoniæ de qua inter Sueciæ & Poloniæ Reges conventum in Instrumento dictæ Pacis: Cæsar circa supremum Dominium Imperii, nihil reservavit, nulla tamen, ut dissimularet, necessitate coactus. Ac licet in istis tractatibus magis quatenus et Archidux Austriæ, quam tanquam Imperator contraxisse dici queat, tamen & domum suam non negligere, & juribus Imperii prospicere potuisset.

Status vero Imperii nihil etiam egerunt, unde constare posset, quod prætenso in Livoniam perdurare deberet.

Nec



Nec moramur rationes ex Limnæo pro-
latas. Nam exempla ista pertinent ad seculum
decimum sextum, & specialiter etiam, ea, quæ
narrantur de proscriptione, quam Carolus V.
Rigensibus fuit minitatus, contigerunt ante
secessionem Livoniæ.

Non leve quoque argumentum est, Livo-
niam non habendam amplius pro membro Im-
perii, quod, cum sub initium hujus seculi Rex
Poloniæ idemque Imperii Princeps bello eam
lacefferet, nec mandaverit Imperium, ut arma
deponeret, nec alias etiam tanquam contra
eum, qui contempta Constitutione Pacis profanæ
turbaret quietem terrarum Imperii, ullam in-
dignationem ostenderit.

Unicus adhuc superest scrupulus, qui
ratione Imperii Romani, circa materiam de-
relictionis in genere objici solet. Nimirum
in Capitulationibus Cæsareis singuli Impera-
tores obligantur, ut ea, quæ Imperio de-
cerpta sunt, recuperare annitantur. Jam au-
tem, quamvis tempora & securitas Imperii sæ-
pe



pe diu non ferant arma sumi ad repetenda
ablata , Capitulatio tamen utpote publica
Cæsaris & totius Imperii vox ultro interpel-
lat pro Imperio, adeoque ad præscriptionem
viam præcludit. Verum enimvero, quamvis ve-
bis Capitulationum suam vim non denegemus
tamen nullam habere efficaciam possunt, si
consensus Imperii aliunde demonstrari queat.
sic enim jure censebitur facta esse alienatio.
Imperator autem ad ea recuperanda tan-
tum tenetur, quæ injuste a possessori-
bus detinentur.

F I N I S.





ACTA

*Quæ consultius visum fuit
hic subnectere, quam textui
Dissertationis interserere.*

NUM. I.

COMPOSITIO PASVVALICA

Inter Archiepiscopum Rigen-
sem, & Magistrum Ordinis Livonici
facta

Per Commissarios Imperii Romano-
Germanici.

NOS Wenceslaus de Novo Castro, Se-
renissimi Domini Ferdinandi, Archi-
ducis Austriae, Camerarius; & Valen-
tinus Saurmann à Gelische, Serenissimi
atque Inviictissimi Principis & Domini,
Ferdinandi, divina favente clementia
Romanorum, Ungariae, Bohemiae, &c. Regis &c. &
a Lau-

Laurentius Otto utriusque juris Doctor, ac Hennig-
 us à Walde in Losen, Illustrissimorum Principum
 ac Dominorum, Domini Barnimi, & Domini Phi-
 lippi, Ducum Stetiniæ & Pomeraniæ, &c. a sacri
 Romani Imperii Statibus, ad Regiam dignitatem
 Poloniæ, de motibus hisce Livonicis componendis
 commissariorum, Oratores notum facimus per præsen-
 tes literas, quorum interest, universis: Cum inter Il-
 lustrissimum ac reverendissimum Wilelmum Archiepi-
 scopum Rigensem, Marchionem Brandeburgensem,
 Stetiniæ, Pomeraniæ, Cassubiorum & Sclavorum Ducem,
 Burgravium Noribergensem ac Principem Rugiæ, &
 Reverendum & magnificum Dominum Henricum de
 Galen, Magistrum ordinis Teutonici in Livonia, ac Or-
 dines & Status Livoniæ, exortæ nonnullis de rebus
 controversiæ essent, atque Illustrissimus & Re-
 verendissimus Dominus Archiepiscopus ab eis bello
 impetitus, reductusque in eorum potestatem esset:
 Regia dignitas Poloniæ, ut pro necessitudine sangui-
 nis, quæ illi cum Illustritate ejus intercedit, atque
 pro officio protectionis, ad quam ei Archiepiscopa-
 tus, Ecclesiæque Rigensis commendata est, illum ad
 pristinum Statum assereret, & suas offensiones, sub-
 ditorumque suorum magni Ducatus Lituaniæ inju-
 rias, a Livonibus illatas, armis vindicaret, bellum
 adversus eos parare cœpit. Cumque idem Illustris
 Dn. Albertus senior, Marchio Brandenburg. & Pro-
 sia Dux, &c. ulciscendæ fraternæ injuriæ causa age-
 ret, Sereniss. & Illustriss. Princeps & Dominus Fer-
 dinandus, Romanorum Rex, atque Romani sacri
 Imperii Status intercesserunt, per nosque cum Re-
 gia ejus dignitate diligenter egerunt, ut, sepelitis
 belli



belli consiliis ; rem ad conditiones pacis deduci
 permetteret. In quo Regia dignitas illius facile suam
 ad pacem Christianitatis conservandam propensio-
 nem & studium declaravit , simulque testata est,
 quantum apud se Serenissimi ac Invictissimi Princi-
 pis Domini Romanorum Regis, atque sacri Romani
 Imperii Statuum postulatio valuerit. Assensa quip-
 pe est, ut negotium compositionis susciperemus,
 promittens, cum de restitutione Reverendissimi &
 Illustrissimi Domini Archiepiscopi integre constitu-
 tum per nos esset, passuram sese, ut legatos Status
 Livonici mitterent, qui de suis offensionibus, sub-
 ditorumque suorum injuriis sarcendis apud se age-
 rent. Itaque cum ex Livonia rediissemus, unaq; venis-
 sent legati Livonum, atque id, quod confectum per nos
 de Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepi-
 scopi restitutione esset, apud Regiam dignitatem illius
 exposuissemus, tametsi quidem nihil studii aut operæ,
 quod quidem a nobis conferri eam ad rem potuit,
 pratermissemus, tamen cum non in omnibus, ad
 eam formulam, quæ tradita nobis a Regia dignitate
 illius fuerat, conditiones restitutionis redigi a nobis
 potuissent, Regia illius dignitas id, quod constitu-
 tum erat, habere ratum recusavit. Itaque pro in-
 juncto nobis à Sereniss. ac Invictiss. Principe Domi-
 no Romanorum Rege, & sacri Romani Imperii
 Statibus munere egimus rursus cum legatis Livo-
 nicis, ut in eo, in quo discessum a formula digni-
 tatis illius esset, pacis constituendæ gratia, nova
 pacta fierent. Quamobrem cum deputatis a digni-
 tate illius eam ad rem consiliariis, atque cum supra
 dictis Livonum legatis, plena mandata ad id
 a 2 habent-



habentibus ; quæ hic pro insertis habere volumus,

2. De Reverendis. & Illustris. Domini Archiepiscopi Rigensis restitutione ad eum modum conventum constitutumque est. Principio ita in pristinum omnium rerum Statum restituetur, ut integra illi constet & dignitas, & in ditione diocesisque sua jurisdictio, superioritas, præeminentia, dominium, possessio, Regalia: reddenturque illi urbes, oppida, arces, pagi, prædia, omnesque redditus, qui eorum fructibus atque emolumentis continentur, ut census & præstationes annuæ, vestigalia, portoria, tributa, quibuscunque nominibus pendendi solita, ad quæ quidem ita restitui debet, ut illi integra sint omnia jura, quæ vel personam dignitatemque; vel ditionem ac res illius attingunt, ita ut ab eo, antequam in potestatem Reverendi Domini Magistri, & Statuum Livoniæ redigeretur, obtenta sunt.

3. Nominatim autem cautum est, ut illi reddatur dimidiata jurisdictio civitatis Rigensis, quatenus in ejus possessione, antequam in potestatem illorum redigeretur, fuerat: neque in ejus possessione per R. & M. D. Magistrum atque Ordinem impediri debet. Qodsi nonnunquam acciderit, ut quidquam controversiæ de ea ipsa jurisditione, Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopo in possessione ejus existente, exoriretur: jure ac judicio legitimo experiri debebunt, neque unquam alter ad alterum oppugnandum armis utetur.

4. Item restituentur illi ea, quæ ad res mobiles illius pertinent, In quo genere primum sunt, quæ

quæ in ipsiusmet Archiepiscopatus atque Ecclesiæ Rigenſis jure fuerunt, ut omnes Eccleſiaſticorum Episcopaliūque ornamentorum apparatus, ad quoscunque uſus, & quibuscunque rebus institutus. Nominatim vero mitra, & baculus Archiepiscopalis, privilegia, diplomata, libri rationum privatarum, & actorum publicorum, & si quidquam eorum interierit, cautum est, ut restauretur ac reficiatur.

5. Reddi ei quoque debebunt, quæ ad munitiones arcium pertinentia ablata sunt, ut, omne armorum, armaturæque genus, bombardæ majores & minores, globi, pulveres, hastilia, ferramenta, loricae, & omnes bellici apparatus; Commeatum autem nomine centum lastæ siliginis. Denique & omnes res, quæ propriæ Rev. & Illustr. Archiepiscopi fuerunt, quæque ablatae sunt; omnes ex inventario, ita uti inter pares convenit, restituentur. Quæ autem deposita apud Rever. & Illustr. Dn. Archiepiscopum quoque fuerant, atque ab illis intercepta sunt, ea si comperiantur, integra reddentur.

6. De fructibus, quos post captivitatem Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopi, antequam bona Archiepiscopatus in sequestrum traderentur, perceperunt, ita convenit. Cum enim ex iis Illustr. Dn. Christophoro Duci Megapolensi magna pars ad se, familiamque sustentandam attributa fuisse diceretur: Magna etiam pars Rev. ac Illustr. Archiepiscopo ac in arces ipsa familiamque impensa, ita, ut si quid reliquum ex iis esset, propter incertitudinem difficultis eorum ratio ad restitutionem esset futura: eorum nomine quinquaginta lastæ siliginis dari debebunt. De reliqui autem temporis fructibus, inde



scilicet, cum prima sequestratio bonorum Archiepiscopatus facta est, cautum est, ut omnes restituantur, exceptis iis, qui Rev. & Illustr. Archiepiscopo, & Illustri Domino Christophoro Duci Megapolensi, eorumque familiae ad sese sustentandum concessi sunt.

7. Cum autem Regia dignitas Poloniae, & Illustris Dn. Albertus Marchio Brandenburgensis, & Prussia Dux, non Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopo tantummodo, sed suis etiam causis bellum ab ipso susceptum prae se ferrent, existimaretque Rev. & Magnus, Dn. Magister & Praelati, ac Ordines Livonici, nequaquam sibi integrum esse, ut Rev. & Illustr. Dn. Archiepisc. restituerent, nisi ante omnia earum causae consopitae essent, atque sibi de pace certum fieret, ut tum demum Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopo sua omnia restituerent; itaque constitutum est, ut sequestri ex communi utriusque partis consensu eligerentur; quibus Archiepiscopus traderetur, ab illisque retineretur, quoad de iis causis ac motibus inter Regiam dignitatem Poloniae, & Reverendum ac Magnificum Dominum Magistrum, Praelatos & Ordines Livoniae compositum erit, iisdemque traderentur omnia redditus commoda, & quicquid in restitutionem veniet, ut ab illis integre omnes conserventur. Eos autem sequestratos utrinque & Rev. ac Illustr. Dn. Archiepiscopus, & Reverendus ac Magn. Dn. Magister sibi elegerunt Reverendissimos Dominos Curlandiae & Tartariae sem Episcopos; Rev. & Illustr. quidem Dominus Archiepiscopus Curlandiae Episcopum; Reverendus autem & Magnus Dominus Magister Tartariae

tensem, cum ii ab initio statim tractationis pacis possessionem Archiepiscopatus obtinuerint, illisque jam essent omnes ejus redditus cogniti: itaque nunc quoque eosdem elegerunt & confirmarunt. Qui quidem tenebunt arces, villas, curias Archiepiscopatus, præter eas arces, quæ Illustr. Dn. Christophoro Duci Megapolensi, & Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopo datæ sunt, ut se ex earum redditibus sustentent, quas quidem illi, usque dum constituta pax erit, libere possidebunt. Iidem quoque Domini sequestri tenebunt omnes alias res, quæ ad restitutionem pertinent, & quæ nominatim specificatæ sunt. Eisdem itaque sequestris, nos tanquam compositores, Sereniss. Principis Dn. Regis Romanorum nomine, ad utriusque Principis postulationem injunximus, hortatique eos sumus, ut pro obedientia, quæ Sereniss. & Inviçiss. Romanorum Regiæ Majestati tenentur, atque pro conservanda pace & tranquillitate communi, id muneris susciperent, præsententque fideliter, neque bona Archiepiscopatus non necessaria familia prægravarent: Præfecti quoque arcium ad Archiepiscopatum pertinentium, neque Reverendo ac Magn. Dn. Magistro, neque Prælati, aut Statibus Livoniæ, sed solis sequestris parere debebunt.

8. Cum autem de iis discordiarum causis, quæ inter Regiam dignitatem Poloniæ & Reverendum ac Mag. Dn. Magistrum, Prælatos Ordinesque Livoniæ intercesserunt, transactum erit, atque cum Regia dignitas Poloniæ & Illustris Dn. Albertus Marchio Brandenburgensis in Prussia Dux, firmam, in-

ratum .



ratum hunc contractum: Confestim Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopum in pristinum statum restituere, castra scilicet, villas, curias, atque omnia, quae contractu hoc comprehensa sunt. Quicquid autem nominati Domini sequestri ad usus Archiepiscopatus e suo, ultra reditus ipsius, in necessariis impenderit, id, cum legitime docuerint, atque intulerint rationes, in ipsa restitutione ex redditibus ejusdem consequentur.

9. Subditos quoque Rev. & Illustr. Domini Archiepiscopi, quos per horum motuum tempus Reverendus & Mag. Dn. Magister, atque Status Livoniae communi consensu & decreto ad fidem suam adegerunt, liberos solutosque facient, atque literis datis testabuntur, eos coactos in suam potestatem venisse, tum etiam renunciatio fidei, quam Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopo subditi ejus verbis atque scriptis fecerunt, irrita erit, atque ei pristini iurisjurandi sacramento obstricti tenebuntur. Ad novum tamen homagium faciendum cogendi non erunt, cum non sponte, sed inviti a Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopo desciverint, atque in Reverendi atque Mag. Dn. Magistri reliquorumque Livoniae Status potestatem redacti essent.

10. Tametsi autem in iis sunt nonnulli, qui cum adhuc Rev. ac Illustr. Dn. Archiepiscopus dignitatem statumque suum obtineret, ad Rev. & Mag. Dn. Magistrum & Ordines ultro transferint, in quibus gravius Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopus vindicandum esse putabat, tamen in gratiam Sereniss. & Invictiss. Dn. D. Romanorum Regis, Domini sui clementissimi, ac Regiae dignitatis Poloniae, quo

firmat



firmior pax instituat, iis quoq; una cum cæteris subditis suis, Capitulo, Nobilitate, civibus, qui compulsi id fecerunt, ignoscit, promittitque pro se & successoribus suis, nullam deinceps mentionem ejus rei se, successoresque suos facturos esse. Vicissim autem Rev. & Mag. Dn. Magister, & Ordines Livoniæ iis, qui Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopo sese adjunxerunt, aut ullo modo adfuerunt, omnem offensionem ex animo remittere debebunt. Et si qui ex subditis civibus Rigensibus servitoribusque Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopi in his motibus exules facti sunt, ii omnes ad bona immobilia restitui debent. Mobilia vero si quæ extabunt, illis reddentur. Reliqua vero a raptoribus vel detentoribus repetere legitima juris via poterunt.

11. Quod si etiam in vincula conjecti, aut pignoribus fidejussionibusque & aliis cautionibus obstricti sunt, eos liberos, securos, immunesque præstabunt, atque eis, pristinis honoribus ac dignitati restitutis, liberam facient potestatem, si in Livonia manendum, siue isthinc emigrandum putaverint, neque aliam de non nocendo cautionem, si ab ipsis postuletur, quam juratoriam præstare tenebuntur.

12. Debebunt item Illustr. Dominum Christophorum, Ducem Megapolensem, ad commendationem Sereniss. ac Invictiss. Principis & Domini D. Romanorum Regis, ac Regiæ dignitatis Poloniæ, Electorumque, Principum, & Statuum Sacri Imperii, atque eorundem honoris causa, Coadjutorem Archiepiscopatus, ac deinde Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopi cessione vel morte consecuta illum legitimum

b

mum



num Archiepiscopum agnoscere, neque ullis excogitatis rationibus ea in re impedire.

13. Cum autem Rev. & Illustr. Dominus Archiepiscopus provectæ jam sit ætatis, liberum illi, si volet, erit, Illustri Dn. Christophoro, Duci Megapolensi, dignitatem atque administrationem Archiepiscopatus tradere, cum quo tandem de rebus & commodis ejus communi arbitrio transigat. Quod si ea consuetudo est, ut subditi Archiepiscopatus Rigensis, simul atque quis in Coadjutorem cooptatur, ad ejus fidem per jusjurandum adigantur; id quoque Illustri Dn. Christophoro Duci Megapolensi, quandocunque Rev. & Illustr. Dn. Archiepiscopo videbitur, præstituri sunt: sin vero ea consuetudo non sit, sed tum demum id usitatum sit, posteaquam is, qui cooptatus in Coadjutorem est, plenam Archiepiscopi dignitatem consequatur, ne ii quidem id facere tenebuntur, antequam per cessionem Rev. ac Illustr. Dn. Archiepiscopi, vel ipsius morte integram dignitatem adeptus erit.

14. Debeat autem Illustr. Dn. Christophorus, Dux Megapolensis, sufficienter ordinibus Livonicæ cavere, ut integra conservet jura, statuta, ac privilegia, illis a Catholica Cæsarea, & Sacra atque invictissima Regia Romanorum Majest. confirmata, exceptis decretis recessus Volmariensis, atque ea parte, qua jus Archiepiscopatus & Ecclesiæ Rigensis convellunt, ad quæ rescindenda, ubi illi videbitur, agere, experiri que legitimo jure poterit. Cavere item illis debeat, ne Archiepiscopatum in secularem, atque hæreditarium statum redigat, ut ullum inde detrimentum Sacrum Romanum Imperium

perium suscipiat. Ad eundemque modum, ut bene
sele erga Rev. atque Mag. Dn. Magistrum, Prælatos
atque Ordines Livoniæ gerat, vicissimque illi erga
eum, & mutua pax & concordia perpetuo conser-
vari possit. Cum autem Illustr. Dn. Christophorus,
Dux Megapolensis, nondum ætatis maturitatem
consecutus sit, si ei Rev. & Illustr. Dn. Archiepisco-
pus dignitatem Archiepiscopatus concedendam pu-
taverit, debet ipsemet Rev. & Illustr. Dn. Archie-
piscopus eligere duos ex Ordine spiritualium, &
duos ex equestri ejusdem Archiepiscopatus, qui
Archiepiscopatum administrabunt, quoad legiti-
mam ætatem attigerit, non diutius. Quemadmo-
dum id & Illustr. Dn. Christophorus, Dux Megapo-
lensis, & nomine illius etiam Rev. ac Illustr. Dn. Ar-
chiepiscopus pollicitus fuerat: atque ut id præsentis
Recessui infereretur, assensus est.

15. Quicquid autem civitas Rigensis Capitulo,
Ecclesiæque Rigensi ademerit, id restitui illi debe-
bit, & si quid controversiarum eis intercedat, de iis
ordinario judicio experientur. Debebunt etiam Rev.
& Mag. Dn. Magister, & Rev. & Illustr. Dn. Archi-
episcopus & Prælati, Ordines, Nobilitas, Civita-
tesque Livoniæ, quæcunque odia aut inimicitia
hoc bello inter eos intercesserunt, sibi mutuo con-
donare, atque oblivisci in posterum, ut certa firmaque
illis perpetua pax constare possit.

16. Quam quidem restitutionis, Rev. & Illustr.
Domini Archiepiscopi transactionem Regia digni-
tas Poloniæ, atque idem Illustr. Dn. Albertus Mar-
chio Brandenburgensis, in Prussia Dux, literis suis



patentibus comprobare, ratificareque debebunt, quod ipsum Rev. ac Illustr. Dn. Archiepiscopus quoque facere debebit. In quorum fidem & testimonium manibus nostris presentibus subscripsimus, & sigilla nostra apposuimus. Datum Pasſyval ex castris Regiis, die 5. Septemb. Anno 1557.

Num. II.

CONVENTIO VILNENSIS
DE TRADENDA
SIGISMUNDO AUGUSTO,
REGI POLONIÆ
LIVONIA.

Sigismundus Augustus, Dei gratia, Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, &c. Significamus presentibus literis nostris, universis & singulis, quorum interest. Cum terra Livoniae nobis, ex parte magni Ducatus nostri Lithuaniae, & vicinitate, & multis, partim antiquis, partim novis pactis & foederibus devincta & consociata, jam ab aliquot annis immensissimi hostis Moschi crudelibus armis, incendiis & vastationibus propemodum funditus everſa ac desolata esset, ita ut extrema quæque illi imminerent, nec quicquam certius esset, quam quod ad primam quamque incursionem illius præpotentis hostis, illud quod reliquum, tam in Diocesi Rigensi, quam in terris Magistri Ordinis Teutonici fuerat, similiter



bus cladibus excinderetur, & in durissimam servitutem hostilem veniret. Quemadmodum jam magna pars, propter multarum Civitatum, arcium, propugnaculorum amissionem venerat, & ob maximam in omnes partes depopulationem, vastitatemque ferro atque igni in ea allatam, & propter quotidianas incursiones, magnumque hostis ad ejus reliquias occupandas apparatus, ad eam angustiam & difficultatem ordines illius redacti essent, ut nequaquam opibus, viribusque propriis statum suum defendere, atque se a servitute & crudelitate hostili tueri ac vindicare possent. Ideo Illustrissimus & Magnificus Dominus Gothardus, Equestris Ordinis Teutonici in Livonia Magister, Nobilitas, Civitates, Statusque & Ordines illius universi, dum & omnia domestica consilia sua convulsa, & se ab aliorum praesidiis, praesertim Sacrae Caesareae Majestatis, & Statuum Romani Imperii destitutos animadverterent, a vicino etiam Rege Sueciae terra marique peterentur; tam suo, quam civitatum aliorumque Ordinum Livoniae, ad dictum Magistrum spectantium, nomine, crebris internunciis & literis praesentem calamitatem & gravissimum periculum nobis exposuissent, multisque precibus opem & auxilium nostrum implorassent.

Nos & commiseratione afflictissimae Provinciae, & amore totius Reipubl. adducti, & ne barbarus hostis latius pro sua libidine in populo grassaretur, dedimus negotium Illustrissimo Principi, Domino Nicolao Ratzivil, Duci in Olike & Nischevvitz, Palatino Vilenensi, &c. ut iterum in Livoniam properaret, & primo quoque Rigam peteret, ibique tam cum ipso

b 3

Ma-



Magistro, quam cum illius ordinibus ac civitatibus de memoratæ Provinciæ defensionis ratione tractaret. Cumque in illis tractatibus ab omnibus perpicceretur, nisi communibus viribus tam Polonorum, quam Lithuanorum defensio suscipiatur, non possent hostilem reprimi: Polonorum vero auxilia, nisi deditio quoque ad regnum Poloniæ, non solum magnum Ducatum Lithaniæ fiat, nequam adduci posse: Tandem ad hunc extremum casum, ita ut fit in rebus desperatis, & præsentis periculo expositis, deventum est, ut de facienda deditioe statuerent, eoque nomine communis profectio, tam ab ipso Principe prænominato, quam ab ordinum ac civitatum nunciis, ad nos susciperetur.

Sed quia prædicto Principe, aliorumque Ordinum ac Civitatum nunciis ad nos Vilnam venientibus, & subjectionem certis conditionibus nobis, Regno Poloniæ, Magno Ducatui Lithaniæ, Ruffiæ Prussiæ, Massoviæ, Samogitiæque, cæterisque ditionibus nostris profitentibus, Senatus Poloniæ copiam tunc non habebamus, sine quo subiectio ipsa, ex parte regni, rite atque commode peragi non posset, necessario hujus rei tractationem in nostram in Poloniam profectioem, ex parte regni rejicere non oportuit. Ne vero interea, dum hæc ad Senatores & Ordines regni nostri perferuntur, atque ibi ab eisdem ordinibus approbantur, multis modis afflictæ Livonia, vel in spe dubia, vel in ancipiti statuum suarum, vel etiam ope destituta, & extremæ depopulationi hostili exposita relinquatur; indeque mutata voluntate, vel servitutem tyrannicam, vel alias quantumvis iniquas condiciones subire cogatur.

gatur , sed ut & illi de indubitata ope & præsidio nostro, & nos vicissim de constanti fide & voluntate eorum certi simus :

Ita tandem post varios multosque tractatus hoc tempore inter nos & prædictum principem , aliorumque ordinum ac civitatum nuncios , conventum est , ut ipsa Livonia ex nunc nobis , ut Regi Poloniae , Magno Duci Lithuaniae , Russiae , Prussiae , Massoviae , Samogitiae Domino ac hæredi , subiecta sit & maneat , dum certi aliquid de approbatione procerum Regni retulerimus .

Quandoquidem vero hoc negotium ad Regni conventum proxime in Massovia futurum , & ad Status & Ordines regni rejecimus , in eo quidem conventu sancte promissimus , & autoritate harum literarum promittimus , ut a Senatoribus cæterisque Ordinibus Regni nostri in Polonia , professæ subiectio tam Principis prædicti , quam subiectorum suorum , in commune seu conjunctim cum Regno , Ducatu Lithuaniae , & cæteris dominiis recipiatur & approbetur , juxta tractatus hic nobiscum initos , utque interea Livonia a nobis totis viribus Regni , Magni Ducatus Lithuaniae cum omnibus adjunctis ditionibus nostris , tam adversus Moschos , quam adversus omnes alios hostile aliquid illi molientes defendatur & propugnetur , & civitates arcesque amissæ armis repetantur . Si vero præter spem nostram , Status Regni nostri in subjectionem istam consentire , & ita Livoniam , conjunctis viribus , prout conditiones prænominatæ ferant , defendere nolent ; Livonia vero a solis proceribus Lithuaniae ad modum præscriptum defensa fuerit , ex tunc , prout
ex

ex nunc, Magno huic Lithuaniae Ducatui incorporata, illique unita esse censeatur.

*Conditiones
subjectionis.*

I.

*Ne mutatio
Domini Livoniae
damno sit
apud Caesarem
& Imperium.*

Cum autem in conditionibus subjectionis illud inter cetera contineatur, quod tam praedictus Princeps, quam subditi & civitates sibi a nobis caveri postulerint, ne deditio & subiectio illa, quam nobis, ut Regi Poloniae, Magno Ducatui Lithuaniae, aliarumque ditionum nostrarum, extremis casibus & periculis adducti obtulerunt, apud Caesarem Majestatem aliosque Imperii Ordines Germaniae, illis damno & fraudi sit; bona fide spondemus & recipimus, Nos interea donec cum Senatoribus quoque Regni de Livonia in fidem & subjectionem recipienda acturi sumus, omnem curam & diligentiam adhibebituros, ut vel per internuncios, vel per literas nostras, Caesareae Majestatis aliorumque Imperii Ordinum, imprimis vero Magistri ordinis Teutonici per Germaniam animi ac voluntates ad probandam huius facti necessitatem inducantur & flectantur. Quod si id plane confici non poterit, hoc tamen totis viribus incumbemus, ne vel Princeps, vel subditi, ullum detrimentum, tam in honore & fama, quam in bonis & fortunis, ex hac necessaria deditio patiantur, nec ullam Imperii proscriptionem, aliave gravamina hoc nomine incurrant, vel si incurrerint, nos tamen providebimus, ne hoc quiquam publice vel privatim fraudi sit.

II.

*Religio Conf.
August. libera.*

Dedimus praeterea fidem, sicut & praesentibus literis sancte damus, recipimus atque promittimus, nos tam Principi ipsi, quam Civitatibus aliis, vel subditis suis, cujuscunque Ordinis vel Status fuerint, liberum usum religionis, cultusque Divini, & recepto-



ceptorum rituum, secundum Augustanam Confessionem, in suis Ecclesiis, totiusque rei Ecclesiasticae integram administrationem, sicut eam hactenus habuerunt, libere permisimus, nec in ea ullam mutationem facturos, neque ut ab aliis fiat, permissuros.

Omnia etiam eorum jura, beneficia, privilegia, secularia & ecclesiastica, praesertim nobilium, tam simultaneae investiturae jus, quam & libertatem gratiae in successione haereditaria ad utrumque sexum, superioritates, praerogativas, dignitates, possessiones, libertates, transactiones & plebisca, immunitatesve confirmaturos esse; denique & jurisdictionem totalem, juxta leges & consuetudines moresque antiquos.

III.
Privilegia
Nobilium.

IV.
Jurisdictio.

V.
Appellatio.

Cum provocatione tamen eorum, qui tam ex nobilibus, quam civitatibus immediate imperio nostro, vigore praesentis cum ejus Illustritate transactionis adjiciuntur, ad vicegerentem nostrum per Livoniam, vel Senatum, Senatores, Judices nostros, per nos in civitate Rigenfi constituendos, eligendos communibus Equestri Ordinis, hoc est, tam ipsorum membrorum Teutonici Ordinis, quam nobilitatis Livonicae suffragiis; idque non ex aliis quam indigenis & bene possessionis illius provinciae incolis, nempe ex nobilibus Vasallis & Civitatum Senatoribus, membrorum etiam Ordinis, qui mutato statu, totos se huic Provinciae dederint: ita tamen, ut eisdem subditis nostris Equestri & civilis conditionis indifferens sit appellatio, prout cuique appellanti provocare visum fuerit. Nempe immediate ad Nos, vel mediate ad vices gerentem, vel ad

c

Sena-



Senatum nostrum præfatum. Illi vero, qui dicti Principis jurisdictioni subiecti & ratione dominiorum ejus subditi erunt & manebunt, ad suum tantum principem provocabunt. In causis tamen gravibus & maximi momenti, licebit Equestri Ordini a Principe suo ad conventum provincialem terrarum Livoniae juxta veterem consuetudinem provocare.

VI.
Magistratus
Germanicus.

Præterea recepimus, prout præsentibus recipimus, subditos provinciae illius penes Magistratum suum Germanicum relicturos esse, &c. Proinde officia, præfecturas, præfidiatus, judicatus, burgreviatus, & id genus, non aliis quam nationis ac linguae Germanicae, ac adeo indigenis collaturos esse, quemadmodum in terris Prussiae conferre soliti sumus.

Et quicquid publice vel privatim universis & singulis de jure & aequitate competere videtur videbitur, nostris literis & diplomatibus confirmatos, nec ullam in prædictis diminutionem, sed potius pro Regia nostra gratia & beneficentia augmentum & accessionem facturos, quemadmodum et nunc re ipsa, vigore præsentium diplomatum, confirmamus, approbamus, augemus, ratificamus, attestamus & comprobamus, confirmareque & comprobare quibusvis hominibus privatim & publice, nunc & in posterum, quocunque tempore benigne super ea re compellati fuerimus, debemus, ac ad eundem modum in reliquis civitatibus Livoniae, imperio nostro subiectis, officiales nostros constituimus: durante tamen tumultu bellico, reliquas armatas hosti vicinas & periculo expositas indifferenter per cujusvis nationis & linguae officiales administrabimus.



mus; quorum nobis virtus, fides, integritasque fuerit spectata; ita tamen, ut nihil attentent, faciant, jubeant atque mandent, quam quæ pro defensione civitatum ac arcium facere videbuntur, nisi forte in nostrum & Reipubl. damnum vergere quid isti animadverterint, tum ad nos ea de re referant, & pro virili satagant, ne quid detrimenti ad nos & Rempubl. redundet. Jus autem, justiciam & potestatem gladii exerceant tam in Cives, quam Nobiles, Magistratus civitatum atque arcium præfecti, sepositis armis, & optata pace recuperata, non illis quam indigenis natione & lingua Germanis præfecturas ~~in~~ Provincia concedemus.

Porro Illustri Domino ~~Magna~~ ^{VII.} ~~Livonia~~ ^{Magister Duci}, cum ad Equestris Ordinis consilium & nostram approbationem statum mutaverit, ut per conjunctionem affinitatis & Principum amicitia suffultus, contra hujus Provinciæ hostes eo solidior firmiorque compareat, Ducalem titulum, ad instar Illustris Domini Ducis in Prussia, cum omni dignitate, insignibus & privilegiis Ducalibus tribuamus, ita ut Vassallus noster, feudatariusque Princeps sit, quem admodum ex nunc Illustritatem ejus pro Vassallo nostro Principe, suscepimus, habebimus atque habebimus.

Ac quo vicissim Illustritas ejus certa sit, quam primum voluntatem Regni nostri Senatorum exploraverimus, aut illi cum Senatu nostri Magni Ducatus Lithuaniae super ea re convenerint, quodam Livoniae partem a nobis & successoribus nostris in feudum habere, tenereque debeat Illustritas sua cum posteris suis ex linea masculina descendenti-

bus.



bus; has arces subsequentes, districtus atque praefidiatus cum jure, suae Illustritati concessimus in feudum atque concedimus, (non obstante, licet ipsa investitio, tituli que insignium & honorum solennis attributio nunc concedi nequeat; quae omnia ad nostrum ex Polonia reditum differenda esse duximus, possessionem illorum omnium Illustritati suae assignavimus, contulimus, atque conferimus, primum totum illum tractum Curlandiae & Samogitiae, incipiendo a falso mari sursum, sequendo fluvium Hilgae, ascendendo ad antiquos limites, per Ratavilum inceptos & dispositos inter Samogitiam, Lithuaniam & Russiam; Et Ratum ad una & Livoniam ab altera, versus dictum Polocensem fluvium, descendente vero Duna usque in mare salsum; adeo, ut quicquid in istis terminis ex Duna versus Lithuaniam continetur, & ad ordinem Livoniae spectabat, nunc & in perpetuum apud Illustritatem suam & ejus haeredes masculos permaneat, Curias videlicet, bona & nobilitatem, quae ad arcem Duneburgensem, ex hac parte fluminis Dunae versus Lithuaniam spectarunt. Arcem Seburgam cum toto districtu. Curias item, Nobilitatem, & omne id, quod videlicet ex hac parte ad arcem Ascherat spectavit: arcem Bausko, Neugnet, cum iis quae ad arcem Kirchholm pertinebant; arces Mitthavv, Tuckum, Neuburgk, Doblen, Kandovv, Alsvvangel, Schründen, Eravvenburg, Zabel, tum & illas arces quae nobis oppignoratae sunt, Goldingen, Hasenpoth, Durben, Windavv, in summa octuaginta millium. Arcem vero Grobin in quinquaginta millibus Illustrissimo Principi Domino

Domino Alberto, Marchioni Brandeburgensi, in Prussia Duci, itidem oppignoratam, & illas quidem summas Illustritati ejus remittimus. Arcem vero Grobin ære nostro apud ipsum Illustrissimum Dominum in Prussia Ducem eliberabimus, ac dabimus operam, ut ab ipsa oppignoratione primo quoque tempore eliberetur, atque in possessione Illustritati suæ tradatur. Ad eundem modum & arcem Bausko ex possessione & usufructu Reverendissimi & Illustrissimi Principis, Domini Archiepiscopi Rigenensis eliberabimus, & ut ejus possessio ad Festum Paschæ Illustritati ejus tradatur, curaturi sumus. Ex altera vero parte Dunæ solam arcem Dunemundam Illustritati ejus ad tempora vitæ concedimus.

Pro nobis vero, & Serenissimis Successoribus nostris, ratione susceptæ defensionis, & aditorum, ac etiam nunc adeundorum multorum periculorum & certaminum, quæ nobis pro Livonia propemodum jam desperatis rebus sumpsimus, totum tractum & omnem reliquam Provinciam ultra Dunam, vigore præsentis contractus cum Illustritate ejus initi reservamus.

Primum & ante omnia, arcem & civitatem Rigensem, cum omni quod in ea antiquitus obtinuit jure, dominio & proprietate, meroque & mixto Imperio, apud Imperatores Romanos obtento, de quo nobis Illustritas ejus condescendit, illudque nobis resignavit, prout præsentibus resignat, cedit & condescendit, & ab homagio quo civitas illa Rigenfis Illustritati suæ tenebatur, absolvit, absolvereque & renunciare coram legato nostro in civitatem Rigensem per nos ablegando publice, tum & patentibus

*Trans-Duna-
na Provincia
Regis Poloniæ
erit.*

Rige.



tibus literis suis, etiamsi civitas ei rei adversari velit, aut quo modo reclamet, & ab ipso homagio liberos facere: nec non omnia diplomata, ab Imperatoribus Romanis super ea re obtepta, nobis tradere tenebitur, eamque sicut & reliqua omnia, quæ sequuntur, potestati, meroque & mixto dominio nostro permittere, sicut jam ex nunc harum literarum vigore permittit, ac permittit, tanquam scilicet eam civitatem, cujus salute & conservatione salus & conservatio reliquæ provinciæ nititur: ex amissione vero extremum illi provinciæ excidium, vicinis autem dominiis nostris præsens, certissimum & indubitatum periculum impendeat. In ea tamen civitate Rigenfi & arce, non peregrinum aliquem alienigenam & adventitium ad gerendum magistratum & alia officia præficiemus, sed ex indigenis Gemanicæ Livonicæque linguæ & nationis. Et alterum quidem officialem arcis, qui rei militari & præsidiis nostris; alterum vero, qui rebus urbanis Burgravius præsit, ex Senatorio civitatis illius ordine, per illos deligendo, per nos autem confirmando, ad exemplum civitatis Gedanensis, constituemus, qui tamen nobis Regi Poloniæ, Magno Ducatui Lithuanicæ speciali jurejurando obstricti sint.

Sequentes vero civitates & arces, præsidium, præfecturæ, tractus pro nobis cesserunt, tam videlicet illæ, quæ adhuc in potestate Ordinis permanserunt, ut sunt arces Kirchholmia, Ascherad, Duneburg ad ripas Dunæ sitæ, Rositen, Lutzen, Trikatén, Ermis, Helmet, Karkus, Weisensten, cum tota Jervia, arx & civitas nova Parnovia, Sahra, Rugia, Burtneck, & arx & civitas Wolmaria, Wendena, Wolfard, Arries, Sege-

vvald



vvalt, Schyvien, Lurgeburg, Nithovv, Lemborch, Po-
derpeus, Neumole. Dein & illæ, quæ jam in potesta-
tem hostis pervenerunt & armis nostris recuperandæ
sunt, videlicet Ducatus Estoniæ, Episcopatus Der-
batensis, quantum in eo sua Illustritas interesse ha-
bet, cum omnibus illarum nobilibus, vasallis, cu-
riis, fundis & universis bonis ad eas spectantibus,
de quibus omnibus, certis personis, quæ adhuc ex
ordine Teutonico restant, nec non consiliariis &
aliis honestis viris de Republ. Livoniensi bene me-
ritis, pro judicio & arbitrio nostro, servato delectu,
adhibitaque in personis proportionem Geometricam,
concedemus providebimusque. Munitionibus tamen
interim omnibus in nostra & successorum nostrorum
potestate reservatis.

De persona tamen Illustrissimi Domini Magi-
stri secus statuimus, tanquam de ea, quæ in nos
singulari fide & observantia semper propendit, præ-
ceterisque Regni nostri se observantissimam præ-
buit. Ideo parem gratiam & benevolentiam no-
stram illi referre volentes, dignum existimavimus,
cui Locumtenentiæ titulum ac prærogativam in arce
& civitate Rigenfi concederemus, prout præsentibus
concedimus, ut in ea resideat, jus & justitiam
cum aliis officialibus nostris administret, quam ad
rem certum stipendium annuum illi suo tempore
concedemus assignabimusque.

*Locumtenens
Archiepisco-
patus Rigen-
sis.*

Præterea inter cætera & hoc inter nos & Illu-
stritatem suam convenit, ut permutatione Episco-
patus Curoniensis, pro Soneburga arce, & curiis
Leal & Hatzel Illustrissimus Holsatiæ Dux Magnus
contentetur, quam ad rem nostram illi recipimus
operam,

*Episcopatus
Curoniæ.*



operam, ut cum reliqua Curonia, Episcopatu quoque Curoniensi Illustritas ejus potiatur.

Neve etiam limitum indiscussorum cum vicinis Illustritatis ejus controversiam aut difficultatem habeat, pro Regia nostra auctoritate curabimus, ut primo quoque tempore fines ad praescriptum pactorum Potzuolensium & posteriorum Vilnensium regantur, & certi constituantur in tota illa vicinia limites. Interea vero neutra pars alteri damnum inferat, aut litem & difficultatem moveat.

Medietas Dunae fluvii.

Cumque tractus Dunae sursum atque deorsum limites inter nos & Illustritatem ejus constituat, aequitatis ratio postulat, ut medietate fluvii in piscando & aliis commoditatibus ejus Illustritas perpetuo gaudeat, quaeque insulae, sive mediamnes alterae partes viciniore sunt, apud eandem partem maneant.

Immunitas a bello.

Et cum hoc sexennali bello, suae Illustritatis quam etiam nobilitatis Curoniensis, praecipue veterum districtuum, qui penes nos manebunt, vires exhaustae sint, relaxatam Illustritatem suam & nobilitatem ab oneribus hujus belli, aut saltem ut hoc praestent aut nitantur, quae commode pro modulo suo possunt, volumus. Alio autem tempore eadem sic ratio, quae Illustritatis Domini Ducis Prussiae.

Debita.

Neve etiam a Gedanensibus & Rigensibus ob aes alienum contractum sua Illustritas molesteretur, Regia nostra intercessione studebimus, ut aut in gratiam nostram sua Illustritas pecunia liberetur, aut non prius, quam commode solvi possit, repetatur. Quemadmodum & Wendensibus, Wolm-



riensibus, Pernoviensibus, ex mera nostra gratia & beneficentia Regia, in solvendis eorum debitis aliquid opis per subministrationem rei frumentariae & alterius generis commeatus adferemus.

Monetae etiam cudendae facultatem Illustri Domino Magistro concedimus, ad pondus & valorem Lithuanicae, & ut ejus promiscuus & indifferens usus sit, tam in Lithuania quam in Livonia. Volumus attamen, ut ex una parte nostra effigies vel insignia Regni & Magni Ducatus Lithuaniae, in altera Illustritatis ejus exprimantur.

Si quid porro Illustritati suae vendendum, impignorandum, permutandumve fuerit, super hoc Illustritati ejus libertatem facultatemque concedimus: ita tamen, ut ad nos & Serenissimos successores nostros de eo primo loco referatur, nobisque optio detur, si talem oppignorationem ipsi acceptare voluerimus: sin minus, tum Illustritati ejus liceat, cui volet.

Dabimus etiam operam, quando Ducatus Esthoniae cum civitate Revaliensi, vel transactione aliqua justa, & nomini nostro honorifica, vel per belli rationes recuperatur, ut Illustritati suae aequa portio, vel in bonis, vel pecunia concedatur; sumptibus belli, si hoc nomine contra Serenissimum Sueciae Regem insumendi erunt, ante omnia nobis refusus.

Tormenta item bellica, quae nobis ad praesens in cessione arcium & civitatum relinquuntur, bello confecto, pro ratione quantitatis qualitatisve a nobis restituantur.

Judaeis vero nulla per totam Livoniam commercia, vestigalia, teloniave ullo unquam tempore concedemus.

d

Cu.

Moneta

Oppignoratio
Praefectura
rum.

REVALIA



Curabimus etiam, ut interea temporis, dum a Magno Ducatu nostro Lithuaniae absumus, & negotium subjectionis in Polonia ex parte Regni tractamus, Livonia necessariis copiis militaribus, tam ad praesidia castrorum & civitatum, quae id a nobis postulaverint, quibusve id necesse fuerit, quam ad arcendam subitaneam incursionem hostilem, in futurum eventum instruatur & firmetur.

*Instrumenta
mutua.*

Haec omnia & singula nos praedicto Principi aliorumque ordinum ac civitatum nunciis sacro-sancte & religiose servaturos, nos jurejurando spondimus. Ipse autem Princeps pro se & suis subditis, ceterorumque ordinum, utpote universae nobilitatis & civitatum nuncii, vicissim fidem suam sacro-sancte praestito solenni jurejurando obstringerunt, sicut & praesentibus obstringunt, quod ab hoc tempore & in posterum, in ea fide, voluntate & obsequentia, quam nobis semel detulerunt, constanter permanfuri & firmiter perseveraturi sint, tanquam fidelem vasallum & subditos decet imperio & potestati nostrae subiectos. Nos vero pari ratione Principem ipsum benevolentia & favoribus subditos vero illius & nostros clementia, & benignitate nostra Regia prosecuturos, ornatos & aucturos, nos recipimus & praesentibus interventu jurandi nostri Regii recipimus harum testimonio litterarum, quibus in fidem sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Datum Vilnae xxviii. Mensis Novembris, Anno Domini M. D. LXII. Regni vero nostri XXXII.

Nu.



NOBILITATIS

LIVONIAE

PRIVILEGIA.

Sigismundus Augustus, Dei Gratia, Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque, &c. Dominus & Haeres; Notum facimus per praesentes literas, quorum interest, aut in posterum quoquo modo intererit, universis; Cum Livonia provincia gravi ac diuturno Moschico bello, multisque cladibus afflictæ, vastata, atque magna ex parte in potestatem hostium redacta esset; cumque & propter multarum civitatum, arciumque & propugnaculorum amissionem, & ob maximam in omnes partes depopulationem vastitatemque, ferro atque igni in ea allatam, & propter quotidianas incursiones, magnumque hostis ad ejus reliquias occupandas apparatus, ad eam angustiam ac difficultatem ordines illius redacti essent, ut nequaquam opibus viribusque propriis statum suum defendere, atque se a servitute crudelitæque hostili tueri ac vindicare possent;

Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Guilielmus, Archiepiscopus Rigensis, Marchio Brandenburgensis, Stetinae, Pomeraniae, Cassubiorum & Vandalorum Dux, Rugiae Princeps, Burgravius Norinbergensis, ac Illustrissimus Dominus Gothardus Ketlerus, equestri ordinis Teutonici in Livonia



Magister, Statusque & Ordines Livoniarum universi, & Civitatum nuncii, dum & omnia domestica praesidia sua convulsa, & se ab aliorum praesidiis destitutos animadverterent, magnam autem spem in nostro ditionum nostrarum auxilio deponebant, matura deliberatione habita, publicoque concordia omnium consensu, se provinciamque suam in fidem & potestatem nostram tradiderunt, ac in perpetuum ditionibus dominiisque nostris, ad imperium terrarum Prussiae adjunxerunt & incorporarunt.

Itaque nos & foederibus & vicinitate conjuncti nobis provinciae periculo, clade, vastitate, servitute permoti, & pro Christiani Principis officio pertinere ad fidem nostram intelligentes, ut hominem provinciamque Christiani nominis a caede, populatione, servitute barbari ac crudelis hostis protebeamus, eosdem in fidem & ditionem nostram accepimus. Qua quidem fide ac necessitate, in iure libertate, fortunis, omnibusque commodis eorum subditorum ac dominiorum nostrorum conservandis & tuendis obstrictos esse nos devincimus & obstringimus.

Cum autem inter reliquos status ejusdem provinciae Livoniae, qui ad profitendam & recognoscendam subjectionem suam apud nos comparuerunt, universus equestris ordo totius illius provinciae, nempe ipsa Nobilitas, indigenae tam ultra citraque Dunam habitantes, per certos nuncios, & plenipotentios suos, videlicet nobiles, Rempertum Giltmadium Juris Doctorem, Gregorium Francken, Sebastianum à Borch, Henricum & Johannem de Melhem, cum sufficienti plenipotentia sua mandati,

figillis



sigillis multorum nobilium ex tota provincia Livonia consignato, apud nos comparuissent, nosque suo ac totius nobilitatis Livonicae nomine, de confirmatione jurium, libertatum, privilegiorum & immunitatum suarum humiliter atque suppliciter compellassent; Obtulerunt nobis in scriptis certa capita seu articulos, quos a nobis, in omnibus eorum punctis, clausulis & conditionibus confirmari, approbari & ratificari debita cum instantia supplicaverunt; Quorum quidem capitum seu articulorum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis:

Primum & ante omnia Sacrae & Serenissimae Majestati vestrae, Domino nostro clementissimo, & tum libertatis nostrae vindici, tum & liberatori, in quo omnem spem & fiduciam liberationis nostrae concepimus, debita qua par est humilitate, nostro totius nobilitatis Livoniae nomine supplicamus, ut Sacrosancta nobis & inviolabilis maneat Religio, quam juxta Evangelica Apostolicaque scripta purioris Ecclesiae, Nicenae Synodi, Augustanamque Confessionem hactenus servavimus; neve unquam ullis sive Ecclesiasticorum sive secularium praescriptis, censuris & adinventionibus gravemur turbemurque quovis modo. Quod si praeter spem acciderit; nos tamen juxta Sacrosanctae Scripturae normam, qua praecipitur, plus Deo, quam hominibus obtemperandum esse, nostram retineamus Religionem, consuetasque ceremonias, neque nos in ulla ratione ab hac avelli sinamus. Si vero errores, quorum malus ille Dæmon author est, in illa suboriri contingeret, ut hisce dirimendis tollendis-

Religio Augustanae Confessionis.



Ecclesiæ.

Pauperes.

Hospitalia.

*Collegia Vir-
ginum.*

que Evangelici Apostolique Doctores puriori
Ecclesiæ Augustanæ Confessionis adhibeantur. Pro-
ximum est, ut Ecclesiæ conserventur, collapsæ re-
stituantur: & quæ ministris puri Evangelii Docto-
ribus sive Concionatoribus, & istorum honesta sub-
tentatione, non provisæ, ut hisce ex liberalitate
Sacra Regiæ Majestatis provideatur; & si quis cen-
sus fundique hisce adempti, vel suppressi fuerint,
ut illi vel restituantur, vel æquivalente pretio com-
pensentur. Tertiū, ne pauperes negligantur, il-
lorum enim juxta atque Religionis rationem ha-
bendam esse censemur. Cum nobis porro constet,
quanta sit calamitas pauperum, qui hac bellorum
clade ex divitibus pauperes facti sumus; supplica-
ter petimus, ut collapsa hospitalia bonaque illi
olim consecrata restituantur, & in quibus ante lo-
cis antiquitus erecta nulla fuerint, ut erigantur, &
tam a Sacra Vestra Regia Majestate, quam a
Principe Nostro, pro Regia munificentia & libera-
litate dotentur. Quo facto CHRISTUS (qui hac
in se collata reputabit) Vestra Regiæ Majestati,
Regnorum ditionumque suarum faciliorem splen-
didiorumque faciet gubernationem. Ac cum hoc
bello (proh dolor!) afflictissimæ, maritis parenti-
busque cæsis, multæ viduæ, orbæ parentibus vi-
gines, in eam egestatem redactæ sint, ut, quo vi-
tam tolerant vix habeant, obnixè oramus, ut in-
primis de collegiis cœlibum virginum ita constitu-
tur, ut afflictissimæ & miserrimæ viduæ virgines-
que, maritis parentibusque orbatæ, in hac reci-
pian- tur, necessarioque victu amictuque prospiciantur,
donec vel cœlibem optent vitam, vel sanctum

perant



petant matrimonium. Neque enim in hoc vel cœli-
 bum virginum, quarum numerus non ita magnus
 est, vel præfectorum earundem privatum com-
 modum, sed commune potius bonum spectandum
 est. Utque idem cum Cœnobiis Monachorum, si
 illa Sacræ Regiæ Majestati vestræ aliquando ex ma-
 nibus hostium restituta fuerint, constituatur, pro-
 pter miseros exanimatos senes, & pupillos parenti-
 bus orbos, paternisque bonis destitutos, qui in iis-
 dem ali, educari, & humanioribus literis erudiri
 poterunt, cum maximo Reipublicæ commodo. Ita
 enim ex cœnobiis præfatis, vetus collegiorum for-
 ma restituetur, ex quibus honorifica Ecclesiæ &
 Reipublicæ organa, quandocunque necessarium fue-
 rit, depromi poterunt. IIII. Cum nihil Respubli-
 cas magis quassare atque concutere soleat, quam
 legum, consuetudinis atque morum mutatio; Sacra
 Regia Majestas vestra bene constitutas Respublicas
 hac ratione, non modo servandas, sed collapsas
 restituendas prudentissimo atque vere divino consi-
 lio censuit, quod per Illustrissimum atque Magnifi-
 ficum Principem ac Dominum Nicolaum Ratze-
 vvil, in Olike & Nischevvitz Ducem, Palatinum
 Vilnensem, Dominum nostrum clementissimum,
 Principibus, Nobilibus, Civitatibus atque Statibus
 Livoniæ, sub ipsius Sacræ Regiæ Majestatis plenæ
 potestatis mandati que proposito scripto promiserit,
 nobis non solum Germanicum Magistratum, sed &
 jura Germanorum propria atque consueta permis-
 suram atque confirmaturam se esse, quod & ad
 præsentis status conservationem, & collapsi erectio-
 nem restitutionemque facit plurimum.

Monasteria.

*Magistratus
Germanus.*

Ut



*Commune jus
provinciale.*

Ut autem certum atque commune aliquod provinciale jus, quo omnes provinciales teneantur ex consuetudinibus, privilegiis, latisque sententiis auctoritate vestrae Sacrae Regiae Majestatis constituatur: etiam atque etiam oramus, ut ad eam certi homines, in juris prudentia versati, ex auctoritate Majestatis vestrae designentur, qui talem formulam Juris provincialis concipiant, componant & communibus Reipubl. Livoniae ordinibus consentientibus ad recognoscendum, confirmandum & promulgandum vestrae Sacrae Regiae Majestati offerant. V. Ut solis indigenis, & bene possessionis dignitates, officia & capitaneatus, ad instar terrarum Prussiae conferre dignetur, prout nobis Regiae Majestatis nomine promissum est, atque praescribantur nobis dignitates, officia & capitaneatus, & quando, & quibus quisque praeficietur. VI. Quamvis inficias ire non possumus, appellationis remedium ad Tribunal Regium, superioritatem Sacrae Regiae Majestatis maxime respicere, neque nostri instituti sit, illam attenuare velle: Tamen putamus Sacram Regiam Majestatem, propter commodum & perfectum provincialium, aliam viam, & eam quidem compendiosiore, & ex consensu communis arbitrio, & vestrae Regiae Majestatis approbatione, invenire constituereque posse, ne vel propter itinerum difficultatem, locique intercapedinem maximam, vel propter miserorum inopiam, plures causas in judicia delatas deferri, & divitibus improbis, malevolisque hominibus insolentiae materiam praebere contingat; Consultum itaque nobis videtur, ut Sacra Regia Majestas vestra in civitate Rigenfi, tanquam

*Indigenae
officiis publi-
cis praefician-
tur.*

Appellatio.



quam totius provinciae metropoli, certos Judices seu Senatores suos constituat, idque ex indigenis per nostrum equestrem ordinem delectos; per Majestatem vero vestram confirmandos, qui semel bisve in anno Rigam statis temporibus una conveniant, & causas appellationum, ex autoritate Majestatis vestrae decident: ab illo vero Senatus Majestatis vestrae in judicio, in causis gravibus & maximi momenti, ad Tribunal Majestatis vestrae, non minus ex Archi-Diœcesi, quam ex Majestatis vestrae & Illustrissimi Domini Magistri ditionibus, hoc est, ex tota provincia, ad Majestatem vestram, tanquam ad supremum & hæreditarium Dominum nostrum, appellatur. Ita tamen, ut temerariae & frivola appellationes præciantur, statuatur expressa pœna in temerarie appellantes, & extrahentes litem sine justa, legitima & probabili ratione; & ut taliter delinquentes condemnentur in decimam partem causae, cujus dimidia pars fisco Majestatis vestrae, altera dimidia pars appellato dependatur. VII. Cum hoc proprium Regium decus sit, atque ipsa Majestas, quæ neminem vel minima læsione offendere, unicuique quod suum est tribuere, quod uniuscujusque est, ex amplitudine munificentiae suae, adaugere consuevit, liberalissime vestrae Sacrae Regiae Majestatis nomine promissum est nobis omnibus atque singulis, de quorum nomine missi sumus, quod nobis atque ipsis, beneficiorum, feudorum, a principibus & prædecessoribus suis acceptorum diplomata, consignatas literas, possessiones, consuetudines, privilegia, ac libertates, & quaecunque longissimo temporum usu acquisivissent obtinuissentque, inviolabiliter servari & confirmari. Sed

*Confirmatio
prediorum &
jurium Nobili-
tatis.*

c

fi



fi quæ majora ipsis omnibus atque singulis ex
esse possent, quod ea quoque ex Regia liberalitate
de novo concedi deberent. Quam Regiam facili-
tatem, clementiam & benignitatem ut observan-
pectore animorum nostrorum prosequimur; Ita enim
fortunis nostris omnibus, vita, saluteque ipsa de-
mereri, sedulo parati erimus. Proinde petimus, quod
debet, humillima observantia, ut non modo quod
antea dicta sunt præstentur nobis; verum cum pluri-
res sint in Livonia, qui cum consanguineis suis at-
que aliis familiis, Jus simultaneæ sive conjunctæ
manus contrahendi facultatem olim nacti sunt, ut
hoc ipsum privilegium, a vestra Sacra Regia Majes-
tate cæteris quoque omnibus, videlicet universis
nobilitati, æque illis, qui sub dominio Domini
Magistri cæterorumque Principum mansuri, ac illis
qui Sacræ Regiæ Majestati vestræ immediate subditi
futuri sunt, nostrisque personis ex liberali favore
pro Regio vestro splendore atque amplitudine
gratiosissime concedatur, in omnibus illorum bo-
nis feudalibus, quæ modo obtinent, quæ in futu-
rum quovis modo, sive speciali gratia, sive contra-
ctu licito obtinere poterunt, non modo cum con-
sanguineis, affinibus; sed aliis quoque exteris fa-
miliis atque sociis tale jus simultaneæ sive conjun-
ctæ manus coire atque contrahere. Hoc est, ut ha-
beamus liberam & omnimodam potestatem de bo-
nis suis disponendi, dandi, donandi, vendendi,
alienandi & in usus bene placitos, non requisitis
Majestatis vestræ consensu & alterius cujusvis supe-
rioris, convertendi. VIII. Si forte in hac belli ca-
lamitate, deprædatione, igne vel alio casu co-
jusque



jusque diplomata, monumenta privilegiorum, libertatum, aliarumque concessionum atque obligationum amissa, absumpta, perditaeque essent, ut illa a Sacra vestra Regia Majestate novis diplomatis, non modo innoventur; si de bonorum haereditatione tranquilla atque continua possessione constiterit: Verum ut etiam obligatarum literarum, quae hoc tumultu bellico perditae sint, fructu ii non careant, qui duorum vel trium testium auctoritate obfirmare possint, tales literas penes ipsos fuisse, & ex adverso de soluto, numerato, vel satisfacto, per alia literarum argumenta nil constet.

IX. Ut sacra ipsius Regia Majestas nobiles atque proceres Livoniae omnium honorum, dignitatum, jurium, libertatum atque praerogativarum, quibus haecenus tam Ecclesiastici, quam seculares Barones atque Nobiles Domini Regni Polonici utuntur & fruuntur, juxta formam atque modum, quibus Pruteni sub Sacra ipsius Regia Majestate positi ab ipsa obtinuerunt, participes facere dignetur.

X. Ut nobis libertatem gratiae (ut vulgo nostri appellant) pro Regia benignitate concedat, quemadmodum in successione fendorum subditi Ducatus Estoniae, Harriae, Wironiae, ac Dioecesis Rigensis, olim a Regibus Danorum singulari beneficio usque in hunc diem obtinuerunt, ut eodem modo nos ejusdem privilegii fructum, ex vestrae Sacrae Regiae Majestatis ampliore augustioreque munificentia capeffere, atque cum perpetua Augusti nominis celebratione posteris nostris relinquere possimus; hoc est, ut habeamus potestatem succedendi, non modo in descendentem, sed etiam in collateralis linea utriusque sexus: Ita tamen

Innovatio Diplomatum perditorum.

Libertas Nobilium,

Libertas gratiae in successoribus,



men, ut præferatur masculinus, & foemellæ pro modo facultatum dotentur; masculis vero non existentibus, foemellæ in omnibus succedant, salvo tamen Majestatis Regiæ jure fisci seu jure caducæ.

*Ne subjectio
Polonis facta
Livonis da-
mno sit apud
Cæsarem &
Imperium.*

XI. Cum nos Sacræ Regiæ Majestati vestræ, illiusque Regno, magno Ducatui Lithuaniae, ac ditionibus, inevitabili necessitate in hisce nostris angustiis, quibus propter barbari hostis insolentiam extremum cum Principe nostro redacti, & ab imperio Romano deserti, nos, vitamque nostram parentes, uxores & liberos tueri non possumus, sed medius fidius in hostis crudelissimi potestate venire oportuerit, priusquam ab imperio defenderemur, in subjectione consenserimus; Sacra ipsius Regiæ Majestas efficiat, quemadmodum cautum est, ut propter hanc Principis nostri deditionem nosque subditos, apud invictissimum Imperatorem Electores, Principes ac Status Romani Imperii tueatur honorem, substantiamque nostram, ne cessura Imperii publica, aliave infami nota vexemur, damnoque afficiamur, quin potius indemnes con-

*Præda hosti-
li, non san-
guine socio-
rum miles a-
latur.*

fervemur. XII. Ut nos in posterum a Sacra Regiæ Majestate non solum contra Moschum, sed quoscunque hostes nostros, conjunctis Regni Poloniae omniumque ditionum suarum viribus defendamur, hostem in propriis ditionibus integri belli mole quam primum adoriāmur, ne vel hostilibus, vel sociis armis, sociorum terris graviora majoraque damna inferantur: Melius etenim est ex hostium sanguine æstare, quam nostri sociorumque deprædatione, perditioneque saginari.

*Agrorum li-
mises.*

XIII. Ut nemo in suis granietibus atque constit-



tis limitibus prædiorum suorum, qui ex certis monumentis liquent, perturbetur; sed in possessione illorum a Sacra ejus Regia Majestate tueatur. Si vero qui limites temporum vetustate corrupti amissive essent, ut illi sive per delegatos, sive per arbitros, prout æquitatis postulaverit ratio innoventur, restituanturque. Ubi vero in terris Livoniæ dispersi inter se nobilium, item rusticorum agri habentur, & ut germanice appellantur, *Streu-lande und Hakenlandt* / isti secundum consuetam mensuram unicuique integri, absque ulla diminutione, læsioneve permittantur, ut scilicet juxta veterem præscriptam formam quilibet uncus aut mansus agri, quem vulgo *Haken* nominamus, sexaginta sex funes, sive, ut dicitur, bastas, quarum bastarum qualibet sexaginta sex Faden contineat. Quæ vero ex vastis nemoribus, multo longoque sudore acquisita, primi occupantis, juxta juris communis ordinationem, manebunt. Nisi prior occupans illa deinceps pro derelicto habuisset ac alius ea abunde possedisset, legitimeque præscripsisset, ut is quoque in tali possessione retineatur, tueaturque. XIII. Ut nobilibus Livoniæ integrum atque liberum sit, per Regnum Poloniæ, magnum Ducatum Lithuaniam, aliasque suæ Regiæ Majestatis ditiones, Regalibus viis, & ubicunque ipsis negotium fuerit, absque ulla remotione telonii, aliarumve datiarum impositione, vel requisitione, libere ire atque transire, mercatoribus exceptis, idque tam terra quam mari, cæterisque fluminibus, cum omni immunitate permittatur. Et si aliquem istorum in præfato Regno, magnoque Ducatu Lithuaniam, aliisque ditionibus, quid-

*Immunitas a
Teloniis.*



Via Regales.

*Capti ab hosti-
bus.*

Ritterdienst.

quidquam deponere contingat, ut idem sine ulla molestia, ullaque telonii & quarumvis aliarum dantiarum gravamine, inde revocari & reduci, quodcumque visum fuerit, integrum liberumque maneat. XV. Ut confecto hoc bello in Livonia, veteres regales, & communes stratae restituantur in pristinum statum, serventurque: reliquae vero ab usu communi alienae praeccludantur, propter variam incommoda, quae ultro citroque dominis vicinis eorumque subditis inde suboriri possunt. XVI. Ab hostibus pro defensione communis patriae capti, & postliminii jure, & redemptionis beneficio per vestram Sacram Regiam Majestatem fruantur atque gaudeant: ut etsi servitutis calamitate mortui censeantur; tamen spe recuperandae libertatis vivere videantur. XVII. Quamvis major pars nobilitatis per hostem partim bonis suis feudalibus spoliata, partim diuturnitate belli fortunis exhausta, ut uxorū atque liberorum sustentationis plerisque plane nihil, aliis vel minimum super sit; tamen illos singularis erga Sacram vestram Regiam Majestatem observantia, item fortunarum, libertatum, dignitatis, vitae etiam atque salutis propriae respectus eo impellunt, (quae ipsis partim beneficio vestrae Sacrae Regiae Majestatis hactenus utcumque servata sunt, partim Dei beneficio servata ac restituta iri sperant,) ut non modo ipsam omni honore venerentur, sed vita atque salute ipsa illud libenter contestabuntur. Et cum plurimi nostrorum nihil reliquum habeamus praeter vitam, hanc parati sumus quoquo tempore apud Sacram Regiam Majestatem vestram exponere: Reliqui vero etiam illi & ipsi belli quinquennialibus sumptibus exesi; tamen se illi offerunt, & nos una cum eis offerimus

ad omnia, quæ possibilia esse poterunt: Speramusque vestram Sacram Regiam Majestatem, si ad expeditionem bellicam eo quo consueveramus, equitatu propter exhaustas vires prodire non poterimus, illud non tam ulli neglectui aut protervitati, sed impossibilitati imputaturam esse. Postulamus itaque, ut unusquisque secundum restantes facultates bellicam expeditionem Sacræ Regiæ Majestati vestræ serviat; non autem secundum eas, quas ante rebus integris stantibus obtinuit: & ut eodem plane modo, si qui extra numerum sui debiti ac soliti equitatus ac servitii, in honorem atque commodum Sacræ Regiæ Majestatis vestræ, plures equites atque milites educere possent ac vellent, stipendia conferantur, quemadmodum cæteris Sacræ vestræ Regiæ Majestatis, Regni, & Magni Ducatus Lithuaniae incolis numerari & conferri consueverunt; utque id tam in præsenri, quam futuris belli temporibus perpetuo servetur. XVIII. Cum digna vox Majestate regnantis sit fateri, Imperium subjectum esse legibus; ne deinceps ullus Princeps, ullus Magistratus, sive superior sive inferior, vel quivis alius, extra cognitionem causæ, nobiles vasallos, vel quosvis alios possessionibus temere exuat, destituat, spoliety: sed si quid juris in alium habere quisquam putarit, hoc ipsum coram judicio ordinario Senatorum Majestatis vestræ Regiæ, vel provinciali conventu experiatur. Non enim æquum est, ut in propria causâ quis ipse sit judex. Sicut enim jus oritur ex facto; Ita de uniuscujusque facto aut culpa non nisi mediante jure, lege, & sanctione per Judicem decidi debet. Nemo itaque in posterum

*Ne quis sine
causâ cogni-
tione spolia-
tur.*

causa



causa indicta, non convictus, neque legitimo iuris
processu damnatus, fortunis aut facultatibus suis
exuatur, quemadmodum antea exuti sunt nonnulli
honesti, & in suos Principes & Magistratus obedien-
tes, fideles & officiosi cives. Et ut in tali facto li-
ceat oppresso ad tribunal Sacrae Regiae Majestatis
vestrae Regium, extraordinarie, coram Notario,
instrumento gravaminis, & de salvo conductu ad
cognitionem causae Sacrae Regiae Majestatis vestrae
supplicare. XIX. Ut nullus, cujuscunque emin-
entiae aut conditionis existat, personis, castris, domibus
aut possessionibus alicujus, ullam violentiam in-
ferre, incursiones facere, in publicis stratis insidia
ponere praesumat. Qui autem super his convictus,
ut juxta leges capitis poena plectatur. Simili mo-
do hi, qui honestas matronas, viduas, virginesque
raperent, vel per vim stuprarent, comprimerent-
ve, cum alias ipsis omnis debeatur honos atque
reverentia, ac merito, ut eodem capitis supplicio
puniantur. XX. Cum etiam mercatores, praeter-
tim peregrini sive exotici homines, in nobilita-
tis ac civitatum injuriam, pelles, frumenta, hu-
mulum, & alia mercium genera in villis ac pagi-
clam & publice coemere, negotiationesque illicitas
exercere soleant, ut illud vestrae Sacrae Regiae Ma-
jestatis auctoritate caveatur prohibeaturque, ne al-
de caetero fiat. Ut autem ratio Dominorum Nobili-
tatisque habeatur cum pellibus ferarum & bestia-
larum, Sacra Regia Majestas vestra providebit.
XXI. Quemadmodum antiquitus omnibus Livoniae
Proceribus, Nobilibus, Equitibus, Vassallisque li-
bera in universum huc usque ferarum lustra atque
meatus

*Violatae pacis
& supri po-
na.*

*Mercatores in
pagis.*

*ususfructus
Sylvanum.*



meatus fuerunt, ipsaque venatio liberrima, ita syl-
varum, nemorum, pascuorum, pratorum, actuum-
que liberrimum habuerunt usumfructum, quod ex
feris bestiolisque sylvestribus pelles, quas vulgo
Widtwerc nominant, ex nemoribus sylvisque
omnium lignorum usum qualemcunque meliore
fructu habere obtinereque potuerunt, quod **Widtwerc**
dicimus in omnibus speciebus ejusdem, in
cinerum sive liquoris picei extractione, sive aliis
lignorum diversis sectionibus is comparari unquam
poterat; Ita quoque mutua atque transitoria fiat;
& est adhuc hodie servitus, qua ultro citroque al-
ter in alterius fundo liberrima habet apum pascua
& mellifluas arbores. Quemadmodum hæc omnia
investiturarum monumentis, longissima præscripta-
que consuetudine adhuc hodie ab omnibus Nobili-
bus obtinentur & servantur: Ita quoque omnes No-
biles atque procures Livoniæ hætenus habuerunt
Jus coquendæ Cerevisiæ, illiusque ad suas tabernas
vendendi potestatem, absque ullius impedimento,
vel datiarum vel assisiariorum gravamine. Ne vero
in posterum callidis officiariorum adinventionibus,
ne dicamus expilationibus, in talibus libertatibus
quoquo modo graventur; petunt Nobiles ac proce-
res Livoniæ, ut hæc specialius privilegio regio ex-
plicentur, ne omiſſa impræſentiarum, nocuisse olim,
sed quæ expressa jam prodesse & in futurum & per-
petuum profuisse videri poterunt; publica tamen
contributione, & alio vectigali communi consensu
ordinum & universæ Nobilitatis ad Sacræ Regiæ
Majestatis vestræ & Reipublicæ necessitatem pro
tempore decernenda, semper excepta. XXII. Ut
f Rustici,

Jus
Coquendæ Ce-
revisiæ.

Mancipia Ru-
stica,



Rustici, qui vel per Principis concessionem in alius
cujus potestate fuerunt, ab aliis non capiantur, ne-
que detineantur; sed ad ejus, cujus intersit, pos-
sionem exhibeantur: nisi certis diplomatum ar-
gumentis, vivisque testibus edocere quis poterit
illos sibi a legitimis ipsorum Dominis concessos
que translatos esse, manebunt in potestate ejusdem
in quem eum in modum concessi translatique fue-
runt, alias restituantur secundum receptum mo-
rem & antiquam consuetudinem Livoniæ. XXIII. Ut
hactenus Nobilium rustici ad sola Dominorum op-
era fuerunt obstricti: Ita petimus providere
ne ad alia servitia in libertatis nostræ præjudicium
cogantur, sed ut antiqua consuetudo observetur.
XXIII. Ut fines terrarum diligenter observentur,
ne prædones, & grassatores ingrediendo impu-
grassentur. XXV. Ne lites atque controversie
transactionibus judicatæ vel sopitæ in posterum re-
suscitentur, suæque Sacræ Regiæ Majestati inchi-
tisque senatoribus molestiam inferant, ut in gener-
transactiones ac definitivæ sententiæ omnes a Prin-
cipibus Livoniæ dictæ latæque per Sacram Regiam
Majestatem vestram confirmantur. XXVI. Cum
sæpenumero in Livonia acciderit, quod nonnulli
Nobiles a propriis rusticis clam occisi sint; Ut ve-
ro in posterum a talibus flagitiis deterreantur, po-
tunt Nobiles Livoniæ, ut de singulari gratia, me-
ritique Imperii Sacræ ejus Regiæ Majestatis potestate
suis curiis capitalis civilisque judicii, privilegium
quemadmodum Nobiles Estoniæ Ducatus olim a
Regibus Danorum consecuti sunt, & in hunc usque
diem obtinent, annectatur concedaturque. Ultimo

*Limitum cu-
stodia.*

*Res judicatæ
non retracten-
tur.*



cum ex Monetæ inæqualitate hæcenus varia & inexplicabilia damna atque incommoda Livoniæ illata sint; petimus de illa etiam certum quid constitui: scilicet, ut ea excudatur in posterum moneta, quæ in gravi valore & æstimatione per Polonica & Lithuanicæ existat, ut ultro citroque Polonica Lithuanicaque moneta in Livonia, Livonica e converso in Polonia & magno Ducatu Lithuania currat.

Moneta æqualis.

Nos itaque Sigismundus Augustus, Rex Polonia, & Magnus Dux Lithuania, præfatus, &c. præinsertos articulos & humiles supplicationes universi equestri Ordinis Nobilitatis Livonica, tanquam iustas ac legitimas, autoritate nostra Regia, tanquam directus Dominus, cui merum & mixtum Imperium in totam provinciam, vigore præsentis subjectionis nobis professæ, competit, in omnibus earundem postulationum & articulorum clausulis, punctis & conditionibus confirmandos, approbandos & ratificandos esse duximus, prout confirmamus, approbamus & ratificamus præsentibus hisce literis nostris, decernentes eas ab hinc, & in posterum, robur debitæ & perpetuæ firmitatis obtinere debere, utili tamen dominio Illustrissimi Domini Magistri per hanc confirmationem nostram in terris Illustritaris ejus, nihil derogantes, Harum testimonio literarum, quibus in fidem præmissorum sigillum nostrum præsentibus est subappensum. Datæ Vilnæ, feria sexta post festum S. Catharinæ. Anno M. D. LXI. Regni vero nostri XXXII.



FORMULAE
JURAMENTORUM
OCCASIONE TRADITÆ,
SIGISMUNDO AUGUSTO
POLONIÆ REGI,
LIVONIÆ,
PRÆSTITORUM.
JURAMENTUM
REGIS POLONIÆ.

Ego Sigismundus Augustus, Dei gra-
tia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Li-
thuaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae,
Samogitiae, Livoniaeque Dominus & ha-
res, juro, spondeo & promitto ad haec
sancta Dei Evangelia, quod omnia jura
libertates privilegia, immunitates Pro-
vinciae Livoniae, Ecclesiasticas & secula-
res, Ecclesiis quoque & spirituali earum
status



statui, Archiepiscopo, Episcopis, Principibus, Magistris, Capitulis, Commendatoribus, Advocatis, Nobilibus, vassallis, Civibus, incolis, & quibuslibet personis, ejusque status ac conditionis existentibus, per Imperatores Romanos, & alios quoscunque Reges, Duces, Principes, ordinis Teutonici magistros, & alios legitimos Magistratus illi provinciae & statibus concessas, manu tenebo, servabo, custodiam, & attendam in omnibus conditionibus atque punctis. Omnia illicite ab eadem provincia alienata, aut per hos belli tumultus Moschorum avulsa, pro posse meo & conjunctarum provinciarum mearum, ad proprietatem ejusdem provinciae armis sive pactionibus recuperabo, aggregabo. Terminos ejusdem provinciae non minuem, sed pro posse meo diminuta & in hostium potestatem redacta recuperabo, defendam & dilatabo. Sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Evangelia.



JURAMENTUM
ORDINUM LIVONIÆ,
SIGISMUNDO AUGUSTO,
VILNÆ, PER LEGATOS
PRÆSTITUM.

NOs Commendatores, Advocati, Nobiles, vasalli, Cives, Civitatum pro-
Consules, Consules, nostro & reliquo-
rum nostrorum amandatorum nomine
promittimus & juramus; Quod ex nunc &
deinceps fideles & obedientes erimus Sere-
nissimo Principi & Domino, Domino Sigis-
mundo Augusto, Dei gratia Regi Poloniae &c.
pleno titulo, &c. Domino & hæredi, ejusque
successoribus Regibus, ac Regno Poloniae,
magnis Ducibus, & magno Ducatui Li-
thuaniae; suæ Sacrae Majestati Regiae, regno
ac ducatibus assistemus, nec non ejus suc-
cessoribus contra quoslibet inimicos, qui-
buscum nullos tractatus, nulla foedera,
indu-

inducias aut contractus faciemus, sine
 suæ Majestatis Regiæ consensu & appro-
 batione; Sed nos in omnibus fideles, ob-
 servantes, & obsequentes omni loco &
 tempore præstabimus, consilium & alte-
 rius generis mandata nobis credita, ad suæ
 Sacræ Regiæ Majestatis damnum non
 revelabimus, sed fideliter exequemur;
 omnemque machinationem, quam practi-
 cari suboleverimus in præjudicium Re-
 giæ Majestatis & Ducalis dignitatis, cu-
 stodiemus, præcavebimus, & pro posse
 nostro, summa fide impediemus. Sic nos
 Deus adjuvet, & sacro-sanctæ Evangelicæ
 veritatis professio, nec non crux, suppli-
 cium, ac mors Domini nostri J E S U-
 CHRISTI.

JURAMENTUM
M A G I S T R I
L I V O N I Æ.

EGO N. juro, quod ab hac hora &
 deinceps fidelis ero & obediens Sere-
 nissi-



nissimo Principi, pleno titulo, &c. Domi-
no & hæredi, profectum illius fideliter
procurabo, in negociis Regiis & Ducali-
bus fideliter consulam, & secreta quæ mihi
qualitercunque concredita & communica-
ta fuerint, in eorum detrimentum
nemini pandam. Sic me Deus
adjuvet, &c.





* * * * * * *



*Ugna quidem hac alias umbratilis esse
videtur,*

*Quam Tua, Docte Baro, mens ge-
nerosa parat;*

*Qualem claustra Scholæ veteri de more requi-
runt:*

*Non tamen illa parum nunc quoque lucis
habet.*

Materia illustris, pro qua pugnatur, & Ipse

Qui pugnam, minimè de grege miles, init,

Deterget veterem Musarum sedibus umbram

Virtutis radiis ingenique sui.

Tu facis hoc, KETTLERE, Schola plaudente,

Tibique

Concilias lucis nonnihil ipse novæ.

(*)

Umbra

Umbra sed hac mera sunt, si spectes illud, in
Aulis


Dort aber wird einmahl dein tapfferes verrichten/
Auch Fürsten angenehm und Ländern nutz-
lich seyn.

Dergleichen dörfen wir mit gutem grunde hoffen/
Dann Du verläugnest nicht des klugen Vato-
ters Art.

Die Zeit entdecket einst/wie weit wir zugetroffen/
Wann Gott nur Dich wie Ihn zu hohem
Alter spart.

Wie solches von Herzen wünschet/und
mithin den Herrn Baron seiner
Freundschaft versichert

Johann Ludwig Wilhelm/
Graff zu Leiningen/xc.



Nota Per-Illustris calcans Vestigia Scirpis
Te quoque nunc proprium Lumen ha-
bere doces.

Si Tibi splendorem praesens Labor auget Arvitum,
Vel Tua sors similis, vel quoque major erit.

Hicce Per-Illustri Domino Respondenti
animitus gratulatur

P. F. DE BERCKHEIM, Nob. Alc.

(*) 2 Con-

CONsecrata simul Phoebeis artibus aetas,
 Transactumque diu tempus amore pan-
 Arctis jamdudum sociarunt pectora nostra
 Nexibus, *ô anima portio magna mee!*
 Ergo Tibi inprimis me nunc applaudere par-
 est;

Edere cum rursus grandia facta paras.
 Ast cum posset amor suspectas reddere laudes,
 Sitque minor meritis nostra Camoena Tuis
 Augurio tantum memet patieris, *Amice,*
 Interiora animi pandere sensa mei:
 Vt nunc Pierides in Te mirantur alumnum,
 In Te Patronum sic aliquando colent:
 Utque per Illustrem accessit Tibi gloria stu-
 pem,
 Stirpi sic per Te gloria major erit.

Ita

PER-ILLVSTRI DNO RESPONENTI,

Amico suo æstimatissimo,
 de Palmis
 in solennissima Panegyri
 reportandis
 gratulari voluit

PHILIPP. REINHARD. GAYLING

ab Altheim, Nob. Alf.

Cum Genere & Proavis studia & virtutis
amorem

Jungere, id est verum Nobilitatis opus.
Hæc sunt Fulcra domus, hæc veros addere ho-
nores

Atque immortalem reddere jure queunt.
Qui, qua se ostendet, cupit expectare cate-
nam,

Hæc ceu tot partes jungere continuet.
Hoc agis, hocque age perpetuo KETTLERE,
catena

Te exornare magis gemmea nulla potest.
Ut nunquam cesses, Sanctus Tibi Spiritus
adfit!

Cum laude implebis sic pia vota Patris.

*Pauca hæc exsiccata dudum vena extorsit,
ut observantiam suam
erga Per-Illustrem Dominum Baronem
testaretur,*

ANDREAS HEY, Coetus
Reformati Minister.



*M*agni magna parant, generosaque indole digna;
 Fortes nascuntur fortibus atque bonis.
 Tu, magno Soboles non inficianda Parenti,
 Sat potes exemplo rem stabilire Tuo.
 Æneam Ascanius primis referebat ab annis,
 Hectoris Astyanax indole notus erat:
 Tu Patris instar habes; & nunc ex ungue leonem
 Te cognoscendum das, Generose BARO.
 Quid loquar? una meos subit admiratio sensus:
 Impetus in laudes hinc fuit ire Tuas.
 Sed mea mens radiis virtutum oppressa Tuarum
 Adstupet, & cultus est modo plena Tui.
 Laudent Te, KETTLERE, alii, quibus ista videtur
 Gloria, quâ fulges, carmine egere suo.
 Non ego tam vecors, ut per me crescere credam
 Posse, quod est ingens, Te faciente, decus.
 Quin istos potius votis ut prosequar ausus
 Me collata monet sors tua sorsque mea.
 Det vitam DEUS, & mentem Tibi seruet eandem,
 Quam cum nascendi conditione dedit;
 Cetera virtutemque Tuam moresque sequentur,
 Ut sint fortuna congrua cuncta Tue.

Oblervantiæ suæ erga Per-Illustrem
 DNUM BARONEM hoc pignus esse
 voluit

JOH. NICOL. REICHARD

Illustriss. Dnn. Comitum in Lei-
 ningen, &c. h. t. Ephorus.

Nob



Nobilitas, KETTLERE, Tibi non sufficit una,
 Fortunæ at meritis vincere dona cupis.
 Virtutis propriæ stimulus, complura trophæa
 Majorum, & Magni Patris Imago Tui,
 Nunquam non pectus generosum ad summa laceffunt,
 Et Te sectari maxima quæque jubent.
 Res magna est, magnis ortum Majoribus esse,
 Major adhuc, studiis condecorare genus:
 Sed Tu natales Musis sociare laborans
 Raro connubio jungis utrumque decus.
 Jam Te Patrono Musarum turba superbit,
 Celsum jam culmen præparat aula Tibi,
 Imo Tuæ Stirpis per Te jam gloria crescit,
 Dum sternit palmas nunc Tibi fama novas.
 Inde subire Patris (cujus spes omnis in uno
 Te posita est) mentem gaudia quanta putas?
 Me quoque nunc tantò potius superaddere vota
 Votis cunctorum Tu patiere mea,
 Virtutum testis quò certior ipse Tuarum,
 Et nexu junctus quò propiore Tibi.
 Maacte ista virtute Tua! Sic gloria avita,
 Majorum per Te sicque perennat honos.

Ita
 PERILLVSTRI D^{NO}. RESPONENTI

ob
 pressa hætenus egregie Magni Genitoris vestigia
 & bonorum omnium expectationem
 adimpletam, auctam, superatam,
 applaudere volui

Perillustri KETTLERIANÆ Stirpis
 devinctissimus cliens

P. C. HAIMBACH.

Argen-

Argentina stupet, miratur et Hassia summas
 Ingenii dotes, *Flos Generose*, Tui.
 Omnis ad hæc imò exultat præconia turba
 Musarum, & plaudens gaudia mille capit.
 Illa sui tanto se jactat Cive Lycei,
 Natalis pretium vindicat ista soli;
 Hæc in tam cello veneratur germine Stemma;
 Dudum Patronos accipit unde suos.
 Cumque ita cuncta Tuam tollant ad sidera famam;
 Famâ sunt longè cuncta minora tamen.
 Quos ergo tandem versus, quæ carmina condam?
 Ad laudes repat cum mea Musa Tuas.
 Absolvam tantum pietatem interprete voto,
 Atque Poëta rudis, non rudis augur ero:
 Suspicit alma Tuum Magnum Germania Patrem;
 Reliquias Stirpis Westphala terra colit.
 Tantorum Heroum cum nunc exempla sequaris,
 Niteris Ipsorum multiplicare decus,
 Egregieque simul multo cum fœnore reddis,
 Quod Tibi Majores contribuere jubar.
 Sic non Teutoniæ splendor, spesque unica Patris;
 Sed decus immensum sic magis Orbis eris.

*Hocce
 devotissimi obsequii sui
 monumentum*

PERILLVSTRI DNO. RESPONDENTI

*ob
 derivatum hactenus singulare prorsus
 in Heliconem patrium
 jubar*

*& suscipiendum aliquando Reipublica literaria præstitum
 erigere voluit*

Submississimus Ipsius Cultor

M. JO. CHRISTOPH. Bartenstein
 LL. Stud.